

quam necesse sit, aut majoris magnitudinis quam ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, episcopi providentia modus inveniatur, qualiter consistere possint aut restaurari.

EX EISDEM DECRETIS.

*Quæ ecclesia est iterum consecranda, et salibus tantum exorcizanda.*

<sup>81</sup> Si motum fuerit altare, denuo consecretur ecclesia. Si tantum parietes mutantur, et non altare, salibus tantum exorcizetur. Si homicidio vel adulterio ecclesia violata fuerit, diligentissime expurgetur, et denuo consecretur.

EX EISDEM.

*In usus laicorum non licet converti ligna ecclesiarum dedicata.*

<sup>82</sup> Ligna ecclesiarum dedicata, non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus. In laicorum vero usum non debent admitti.

EX EISDEM.

*Necessitate cogente, in catechismo et confirmatione idem computer esse potest.*

<sup>83</sup> In catechismo et in baptismo et in confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogat. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt.

<sup>81</sup> *De consecr. distinct. 1: Si motum.* Et in *Decr. Iv. lib. II.* <sup>82</sup> *De consecr. dist. 1: Ligna Ecclesiarum.* <sup>83</sup> *De consecr. distinct. 4: In catechismo.* Et in *Decr. Iv. lib. I.*

# PIUS I PAPA

## NOTITIA

(Ex libro pontificali Damasi papæ, ap. MAMSI, *Concil.*, I, 669. — Varias lectiones et notas in hunc locum Libri pontificalis vide *Patrologiæ Latinæ* t. CXXVII, col. 1213).

Pius natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de civitate Aquileia, se lit annos novemdecim, menses quatuor, dies tres. Fuit autem temporibus Antonini Pii, a consulatu Clari et Severi. Sub hujus episcopatu frater ipsius Hermes librum scripsit (26), in quo mandatum continetur, quod ei præcepit angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu pastoris, ut sanctum Pascha die Dominica celebraretur. Hic constituit, hæreticum venientem ex Judæorum hæresi, suscipi et baptizari. Et constitutum de Ecclesia fecit. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros octodecim, diaconos viginti unum, episcopos per diversa loca duodecim. Qui etiam sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano, quinto Idus Julii. Et cessavit episcopatus dies 14.

## DISSERTATIO

### DE VITA ET SCRIPTIS S. PII I PAPÆ

(GALLAND., *Vet. Patr. Biblioth.*, t. I, Venet., 1763, in-fol., ex Fontanini *Hist. Aquil.*)

## SYNOPSIS

### SECTIO I.

- I. Sanctus Pius I in Cathedra Romana sedit statim ab Hygino, ante et non post Anicetum.
- II. Quandiu in pontificatu vixerit.

### SECTIO II.

- III. De duobus S. Pii epistolis ad Justum Viennensem episcopum. Variæ illarum editiones. Prior eadem pontifici vindicatur.

(26) Vide Prolegomena ad Hermæ Pastorem, *Patrologiæ Græcæ* t. II. Edit.

## SECTIO III

IV. *Posterior quoque ipsi asseritur.*

V. *Primi Viennenses episcopi contra Tillemontium suæ sedi redduntur.*

VI *Colobium fuit tunica, solis episcopis propria.*

VIII. *Epistolæ sancti Pii, a Blondelio, Dallæo et Salmasio in suas sententias inique detorta.*

VIII. *Permuljis viris doctis probatæ.*

## SECTIO I.

*Quando et quandiu sederit S. Pius I.*

I. De duabus S. Pii I Epistolis Justo Viennensi episcopo inscriptis, triplex circumfertur virorum eruditorum sententia. Eas enim alii sinceræ, alii vero dubias, plerique supposititias agnoscunt. His postremis haud ita pridem accessit doctissimus *Epistolarum Romanorum Pontificum* editor, qui propterea easdem Pii Epistolas in appendicem rejecit (v); ubi monitum præmittens, potiores suppositionis causas, ut ipse quidem putat, ex Tillemontio in primis petitas (2) diligenter exponit. Novissimus omnium Justus Fontaninus, vir doctrina et eruditione præstans. Epistolas de quibus agimus, germanas esse atque integras luculentissime ostendit (2): cujus proinde argumenta in medium proferre operæ pretium duximus. Sed prius, quando et quandiu sederit sanctus pontifex, ex eodem V. C. inquirendum. Sic igitur ille (4):

« Sanctum Pium, quicumque summorum pontificum res gestas, patria illorum expressa, litteris consignarunt, *Aquileiensem* et *Rufini* filium uno ore dixerunt. *Pius natione Italus ex patre Rufino de civitate Aquileia*, inquit vulgatus Anastasius, cæteri-que pontificales nomenclatores. Utrum in Petri cathedra Anicetum vel Hyginum exceperit, non omnino inter se conveniunt auctores: quandoquidem apud Optatum summos pontifices enumerantem (5), *Hygino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter* succedit. Hanc tamen Optati seriem vitio laborare dudum viderunt præstantes viri, Franciscus Balduinus et Gabriel Albaspinæus; propterea quod hæc verba, *Damasio Siricius* hontæ, scribere non potuerit Optatus, qui opus suum circa A. D. 370 perfecit: at Siricius non fuit pontifex ante A. D. 383. Quare *Sirici* nomen a librario qui ejus tempore Optatum exscripsit, irrepsisse notavit Baronius (6). Vulgatam Optati lectionem secutus videtur sanctus Augustinus (7); eamque Baronius fulciri putavit (28 a sancto Hieronymo in Catalogo cap. 21, ubi *decimus post Petrum episcopus Anicetus* vocatur; qui numerus a Petro ductus, Pium Aniceli non decessorem, sed successorem facit.

« Verum nihil vetat, quin Anicetus et *decimus* post Petrum, et etiam Pii *successor*, non *decessor* exstiterit: nam Hieronymus non solum in Catalogo, sed etiam in Chronico Eusebiano, a se Latine expresso et aucto, Olympiade cxxx *decimum* post Petrum episcopum Anicetum constituit; ubi ei Pium præponit, quem *Comæ nonum episcopum* vocat, excluso nempe Anacleto vel eum Cleto confuso: non enim Hieronymum numerum iniiit a Petro sed ab ejus successore Lino, de quo ait in Chronico: *Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus*: unde Soter Aniceti successor ab eodem Hieronymo pontifex *undecimus* appellatur. In Catalogo tamen

A cap. 13, Clemens qui post Linum Petri successorem, Cleto vel Anacleto succedit, vocatur *quartus post Petrum Romæ episcopus*; quod perinde est. Quare labitur Papebrochius (9), ratus Hieronymum circa Pii successionem in Optati et Augustini sententiam ivisse. Ut clarius res patet, pontificum ordinem Hieronymianum, et vulgatum hic lectorum oculis subjiciam.

## I.

Pontificum series ex Hieronymo.

*Petrus.*

1. Linus.

2. Cletus, *alias* Anacleto.

3. Clemens.

4. Evaristus.

5. Alexander.

6. Sixtus.

7. Telesphorus.

8. Hyginus.

9. Pius.

10. Anicetus.

11. Soter.

## II.

Pontificum series vulgata.

*Petrus.*

2. Linus.

3. Cletus.

4. Clemens.

5. *Anacleto.*

6. Evaristus.

7. Alexander.

8. Sixtus.

9. Telesphorus.

10. Hyginus.

11. Pius.

12. Anicetus.

13. Soter.

« Irenæus pontifices Romanos recensens (10). Hieronymianum ordinem tanto ante his verbis expresserat: *Valentinus venit Romam sub Hygino, increvit vero sub Pio, et prorogavit tempus usque ad Anicetum, Cerdon autem quæ ante Marcionem, et hic sub Hygino qui fuit octavus episcopus.* Et paulo post: *Marcion autem illi succedens, invaluit sub Aniceto, decimum locum episcopatus continente.* Ergo nono loco fuit Pius, et decimo Anicetus, secundum Irenæum et Hieronymum. Eadem ex Irenæo habet Eusebius (11); ubi tamen Hyginum *nonum* episcopum, non *octavum*, appellat. Ita pariter Cyprianus (12): quia uterque non a *Lino*, ut Hieronymus, sed a *Petro* numerum iniiit. Hunc posteriorem ordinem alibi secutus videtur Irenæus (13). Sed Renatus Massuetus qui nuper Irenæum ab se egregie illustratum vulgavit, Hyginum semper *octavum*, Pium vero *nonum* ab apostolico Patre dictos contendit. Sane in duplici Indiculo Mabilloniano (14), utroque antiquissimo, si numerus ducatur a Lino qui in altero *primus* occurrit, Anicetus *decimus* erit Pique successor. Astipulatur alius Indiculus (15), et hic vetustissimus, utpote ad sanctum Silvestrum usque perductus. His non animadversis, Emmanuel Schelstratus (16) Eusebium tanquam sibi non constantem arguit, quasi in Historia (17) Pio Anicetum, quem *decimum* pontificem vocat; deinde Aniceto Pium præposuisset in Chronico. Nimirum Schelstratus Eusebium legens, ulterius procedere ne-

(1) *Coutant*. Epist. Rom. Pont. Append. pag. 18, seq.

(2) *Tillem.* Mém. eccl. tom. II, pag. 614, not. 4.

(3) *Fontan.* Hist. Litter. Aquil. lib. II, cap. 4, pag. 82 seqq.

(4) Id. ibid. cap. 3. § 1, pag. 70, seqq.

(5) *Optat.* De schism. Donat. lib. II, cap. 3, pag. 37, edit. Paris., 1669.

(6) *Baron.* ad ann. 368, § 17.

(7) *Aug.* Epist. 33, al. 163, § 2, Opp. tom. II, pag. 120.

(8) *Baron.* ad ann. 158, § 3.

(9) *Papebr.* Propyl. part. I, pag. 22. ad Acta SS. Maii, tom. IV.

(10) *Iren.* adv. Hær. lib. III, cap. 4.

(11) *Euseb.* Hist. eccles., lib. IV, cap. 11.

(12) *Cypr.* Epist. 74.

(13) *Iren.* lib. I, cap. 27, al. 28.

(14) *Mabill.* Analect. tom. III, pag. 426.

(15) *Inter Opp. S. Athanas.* nov. edit. tom. I, pag. 90.

(16) *Schelstr.* Antiq. illustr., tom I, pag. 417.

(17) *Euseb.* Hist. eccl., lib. IV, cap. 11.

glexit; alias Pii defuncti *decimus* Pontifex successor, non decessor, Anicetus statim illi occurrisset.

« Hunc eundem quem digessimus ordinem, testes æquales undequaque confirmant. Nam Hege-sippus temporibus apostolicis proximus, de se ita loquitur (1): Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διαδοχὴν ἐποίησα μὲν μέχρις Ἀνικητοῦ, οὗ διάκονος ἦν Ἐλεῦθερος καὶ παρὰ Ἀνικητοῦ διαδέχεται Σωτήρ, μεθ' ὃν Ἐλεῦθερος. Hunc locum sic vertit Joannes Pearsonius (2): *Romæ vero cum essem, successionem composui usque ad Anicetum, cujus diaconus erat Eleutherus: et Aniceto successit Soter, post quem Eleutherus.* Pius ergo præcessit, non successit Aniceto. Eusebius ex Irenæo hæc de Valentino hæretico protulerat (3), secundum interpretationem Rufini quæ hic præ aliis arridet: *Valentinus venit Romam sub Hygino. Invaluit autem temporibus Pii, et ad Anicetum usque duravit.* Et post alia: *Pius vero in urbe Roma quindecim annis in sacerdotio expletis, Aniceto post tradidit sedem. Cujus (Pii) temporibus Hege-sippus refert semetipsum Romam venisse, et perman-sisse inibi usque ad Eleutherum.* Rursus infra (4): *Tum Hyginus deinde Pius, post Anicetus illo munere potiebatur.* Ex his Hyginum inter et Anicetum in cathedra pontificali sedisse Pium conspicimus: eandemque seriem apud omnes Græcos haberi fatetur etiam Pearsonius (5). Idem constat ex subsequentibus verbis Irenæi (6): *deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus.* Idem etiam ex fine libri in poematis in Marcionem; quod viri docti jam memorati, quin sit Tertulliani, non ambigunt. Hanc eandem sententiam fulcit auctoritas Epiphano (7), Prosperi in Chronico apud Labbeum (8), et utriusque Nicephori, Callisti (9) et Constantinopolitani (10). Nec certe dissentit Catalogus Bucherianus (11): in quo tamen post Pium, vitio codicis abest Anicetus, Soterem inter et Pium, loco vacuo relicto. Denique concinit duplex Indiculus Mabillonianus: *ut jam plane, inquit nobiscum Baronius (12), stultitia habeatur iis non acquiescere, qui eodem tempore quo iidem pontifices, in Ecclesia claruere, ut Hege-sippus et Irenæus: quorum alter omnium doctrinarum curiosissimus explorator dicitur a Tertulliano (13); ille vero a Hieronymo (14) omnes a passione Domini ad suam ætatem ecclesiasticorum actuum historias texuisse.* Quare Pii et Aniceti successio, hujusmodi testium auctoritate firmata, qui Pii, Aniceti et Soteris æquales sub Eleuthero scripserunt, certissima haberi debet. »

II. His ita enarratis, aliisque in eandem sententiam discussis, inquit V. C. quando et quandiu sederit sanctus Pontifex (15). « Certus, inquit, annorum numerus quos Pius in pontificatu transegit ex recentium et paulo antiquiorum ecclesiasticis monumentis difficulter colligi potest. Nam Gilbertus Genebrardus (16), Baronius (17), Blondellus (18), Petavius (19) et Pagius (20), in spatio hujus ponti-

ficatus definiendo sibi non constant. Idem offenditur in vetustis Catalogis Henschenianis (21), Schelstratianis (22), Mabillonianis (23) et Pagianis (24). Anastasius etiam vel Damasus, Ado Rosweydi, Usuardus Florentinæ editionis et Martinus Polonus (25), plures aut pauciores annos Pio pontifici tribuunt. Ab his omnibus quam longissime abiit Pearsonius (26), qui unum Eutychium Alexandrinum sæculi decimi scriptorem cæteris monumentis præferens, Pium tradidit Romanam cathedram implevisse ab anno Domini 127 ad annum 142, et licet scriptores antiqui an unum omnes sub Antoino Pium claruisse testentur, ipse tamen ex suo illo Eutychio Pium retro ad imperium Hadriani detrusit, universa profecto antiquitate reclamante.

« Ex hoc opinionum dissidio nihil certi educi potest, cum antiqui Catalogi librorum arbitrio aucti et immutati fuerint. Ego tamen dum Pii annos aliis augent, alii minuunt, Livianum illud recogito (27): *Si aliquibus assentiri necesse est, media simillima veri sunt.* Quare in ea sum sententia, ut religio apud me sit recedere ab Eusebio, qui præ aliis diu noctuque versatus in tabulis ecclesiasticis, res Christianas, et singulatim Romanæ Ecclesiæ, centum et quinquaginta annos post Pium litteris consignavit, ob oculos habens certæ fidei scripta Hege-sippi eidem Pio æqualis. Contra, Eutychius scriptor novus et externus, cujus Historiam Eduardus Pocockius an. D. 1658 ex Arabico ab se in Latinum sermonem translata vulgavit Oxonii, veterum Romanorum Pontificum tempora scire non potuit; cum etiam decessorum ejus gesta ignoraverit, quæ tamen ab Eusebio discere potuisset; singulisque propemodum narrationibus crassos et fædos errores chronologicos immiscuerit, ut bene annotat Pagius (28). Barbarum autem hujusmodi auctorem apud Pearsonium et Dodwellum fidem meruisse, eo magis mirari subit, quo ex ejus scriptis constat, non solum cujusque Pontificis tempora ab illo supine ignorata, sed et nomina ridicule corrupta fuisse: nam Hyginum vocat *Eugenium* et Pium mutat in *Marcum*. Itaque vero Guillelmus Cave (29) plurima apud Eutychium occurrere observat, *anilibus fabulis simillima; quæ si non ex proprio cerebro finxerit, saltem ex futilibus Ecclesiæ suæ monumentis hausit.*

« Eusebius ergo quindecim annos Pio tribuit his verbis (30): *Romæ cum Pius anno episcopatus sui quinto decimo vitam cum morte commutasset, Anicetus Ecclesiæ illius antistes factus est.* Eundem numerum servat Eusebianæ historiæ interpret Rufinus, et exscriptor Joannes Zonaras (31). Item plerique omnes Eusebii codices editi et mss. melioris notæ, ut fatetur Dodwellus (32): Chronicon etiam Eusebianum a Scaligero et Auberto Miræo vulgatum, sub Olympiade cccxxx, Nicephorus C. P. (33), Prosper (34) et Chronographus Saxo (35). Hæc produnt, Hen-

(1) *Heges.* apud *Euseb.* Hist. eccl., lib. iv, cap. 22.

(2) *Pears.* Opp. posth., pag.

(3) *Euseb.* Hist. eccl. lib. iv, cap. 11.

(4) *Id.* ibid. lib. v, cap. 6.

(5) *Pears.* l. c., cap. 265.

(6) *Iren.* lib. iii, cap. 3.

(7) *Epiphan.* lib. iii. Hær. xxvi.

(8) *Labbe.* Biblioth. mss. tom. I, pag. 32.

(9) *Niceph.* Call. Hist. lib. iii, cap. 23.

(10) *Niceph.* CP. Chronogr. pag. 411.

(11) *Bucher.* De doctr. tempor. pag. 270.

(12) *Baron.* ad ann. 158, § 3.

(13) *Tertull.* lib. contra Valentin. cap. 5.

(14) *Hieron.* De Vir illustr. cap. 22.

(15) *Fontanin.* l. c., cap. 3, § 5, pag. 78 seq.

(16) *Genebr.* Chronogr., lib. iii, pag. 198.

(17) *Baron.* ad ann. 167, § 1.

(18) *Blond.* Apolog. pag. 18.

(19) *Petav.* De doctr. temp. lib. xiii.

(20) *Pagi.* ad ann. 150, § 20 et 165, § 3.

(21) *Hensch.* ad Act. SS. April., tom. 1, init.

(22) *Schelstr.* Antiq. illustr., tom. I, pagg. 414, 333, 650.

(23) *Mabill.* Analect., tom. I, pag. 426.

(24) *Pagi.* Critic., tom. I, pag. 1 seqq.

(25) *Mart. Pol.* Chron., pag. 10, edit. Jo. Fabricii, edit. Colon., 1616.

(26) *Pears.* Opp. posth., pag. 271.

(27) *Liv.* lib. xxvi, cap. 49.

(28) *Pagi.* ad ann. 167, § 3.

(29) *Cav.* Hist. litter., ad ann. 933.

(30) *Euseb.* Hist. eccl., lib. iv, cap. 11.

(31) *Zonar.* Annal., lib. xii, cap. 1, pag. 594, edit. Cangii.

(32) *Dodw.* ad *Pears.* opp. posth., pag. 38.

(33) *Niceph.* Chronogr., pag. 411.

(34) *Prosp.* Chron. Labbe., pag. 32.

(35) *Chron. Sax.* Leibnit., pag. 26.

schenio recte visum, in suo Catalogo I, qui a Bucheriano differri non debuit, numerum annorum Pii corruptum, et pro xv olim scriptum fuisse xx. proclivi enim lapsu x pro v scribi potuit. Hoc idem amplius firmatur, quoniam a consulatu Clari et Severi usque duobus Augustis, sub quibus in Catalogo I pontificatum Pius tenuisse dicitur, non xx sed xv tantum annos præterlapsos, ipsa consulum collegia ibidem expressa certissimum reddunt: nempe ab A. D. 146 ad A. D. 161.

« Hunc calculum illi antefero qui arrisit Tillemontio (1), dum ab A. D. 142 ad annum 157 Pium vixisse falso arbitratur ex Chronico Eusebii. Cum enim in Catalogo Bucheriano Pius sedisse dicatur a consulatu Clari et Severi usque ad consulatam duorum Augustorum (seu M. Antonini Veri et L. Aurelii Commodi); recte inde consequitur Pium pontificatum rexisse ab A. D. 146 ad annum 161, ex Fastis Norisianis, sive ab anno ix imperii

A Antonini Pii ad annum I. M. Aurelii Antonii Veri. Quare non video cur Bucherianus Catalogus sit abjiciendus, ubi in ordine successionis fideliter exprimit Hegesippum et Irenæum: in annorum numero tempus in Historia et Chronico per Eusebium Pio assignatum, unde quaque confirmat: et duplex par consulum in eodem Catalogo expressum vitium id annorum numero et termino cubans luculenter emendat. »

Huc usque vir eruditus de tempore quo sedit S. Pius, mox acturus de integritate duarum ejus Epistolarum ad Justum Viennensem episcopum. Quibus positis, easdem Epistolas (vel saltem harum alteram) circa Christi annum clxi, scriptas existimamus; siquidem in earum secunda hæc leguntur: *Revelatum mihi esse scias, collega beatissime, citius me finem hujus vitæ facturum.* Jam pergunt Fontanius (2).

## SECTIO II.

### De Epistola I S. Pii ad Justum Viennensem episcopum.

III. « Sancti Pii duas Epistolas sinceras et genuinas, ad Justum Viennensem Allobrogum episcopum scriptas, et nunquam ante Blondellum Pseudo-Isidorianis immistas, fusius a criticorum accusationibus eidem sancto pontifici vindicandas aggredior.

« Priorem ex veteri codice in Germania reperto, primus omnium eduxit Georgius Fabricius (3). Utramque sexennio serius Joannes Jacobus Grynæus prodire jussit in *Monumentis sanctorum Patrum orthodoxographis* (4). Idem quem dixi Fabricius, in epistola ad Joannem Haubertium iisdem *Monumentis* præfixa testatur illum, ut vocat, *Scriptorum thesaurum* (ubi est utraque epistola S. Pii) e *bibliothecis vetustissimis* erutum. Alteram Pii epistolam, Avili versibus subjectam, se in codicibus mss. legisse affirmat Petrus Pithæus (5): eademque laudari in duplici Martyrologio ms. Ecclesiæ Viennensis produnt Socii Bollandiani (6), ubi hæc leguntur: *Prædie Nonas Maii natalis sancti Justi martyris, sexti episcopi Viennensis, qui quo tempore Pius Papa I Romæ sederet, accepit epistolam consolatoriam ab eo de sacri pallii (quod colobium episcoporum vocat) dignitate et fidei fervore* Primam earundem epistolarum jam recitaverant laudati Bollandiani (7). Margarinus Bigoneus utramque conjecit in suam Patrum bibliothecam (8): non tamen ex editione Grynæi, neque ex tabulario Viennensi, ut memoriæ lapsu putavit Baronius (9), et ex eo Blondellus, Pagius aliique. Codicem unde illas Bigoneus descripsit, vetustissimum fuisse, docet ipse l. c. his verbis: *Hæc duæ epistolæ his temporibus a Domino revelatæ sunt, et repertæ in sacrario basilicæ sancti Petri in urbe Lemovica, ubi hæc hactenus latuerunt, defossæ in arca saxeâ sub terra, quæ præ nimia vetustate vix legi potuerunt.* Ergo palam est falli eos, qui ut epistolarum sinceritati detraherent, eas ex uno tabulario Viennensi emerisse commenti sunt, ut Blondellus, Pagius et alii.

« Omnes porro allati scriptores utramque *Justo episcopo* inscribunt: ita ut plane aberraverit Joannes a Bosco, priorem *Vero fratri* directam prodens (10). Annalium parens ut *plane aureas* commendat (11); ambasque *germanas et legitimas* cen-

B set (12), et censendas esse pronuntiat tum ob rerum argumentum et admirabilem quamdam cum rebus gestis ejus temporis convenientiam, tum ob simplicissimum illum antiquitatis candorem quem in omnibus præ se ferre noscuntur. Joannes Cardinalis Bona sic pariter judicat (13): *Eas recipiunt orthodoxi, nec audent omnino reprobare sectarii.*

« Berte Blondellus, qui in Pseudo-Isidoro Genevæ impresso A. D. 1628, eas imposturæ accusaverat; postea senior, adeoque prudentior factus, veterem hanc suam de iis sententiam omnino exiit, ut ex posterioribus scriptis A. D. 1641, 1646, 1649, manifestum sit. Siquidem in libris de Primatu, de Sibyllis et in Apologia, utriusque epistolæ tanquam ad illum ejus nomen præferunt certissime pertinentis, testimoniis abutitur; quod etiam Claudium Salmasium et Joannem Dallæum, Henrico Hammondo reclamante, pridem fecisse inferius exponam. Cur ergo vel propter Blondellum nondum resipiscentem suspectiores nobis sint, nihil sane causæ est. Nec magis movere debet, qui priorem illam Blondelli censuram nuper improvide exscripsit Tillemontius, vir alias in his litteris eximie præstans. Quis enim sententiam amplectatur, quam auctor prudens abjecerit? Tillemontio detractum minime cupio, dum hic aut alibi, ob unius studium veritatis, quam vir pius et doctus agnitam mirifice coluit, ei non accedo. Sed jam tandem quæ Criticis in Epistola I sancti Pii displicuerunt, additis responsionibus nostris, ordinatim recensamus.

#### I.

« Primum itaque putant, Pii sæculo *Missæ vocabulum* in ea memoratum, ad *catechumenorum missionem subsequentemque sacramentorum administrationem significandam*, nondum inolevisse. Addit Tillemontius Tertullianum, Cyprianum et Cornélium nunquam illo usos, etsi alias uti debuissent; ideoque Ambrosio minime antiquius videri. Sed Ambrosius uti jam dudum usitatum, non uti recens, illud vocabulum usurpavit. *Missæ* enim ad omnia Ecclesiæ officia significanda olim adhiberi consuevit eorum vox Romanis frequentissima, cum a princi-

(1) Tillem. Mém. eccl. tom. II, pag. 312, et in not., pag. 654.

(2) Fontan. l. c., cap. 4, § 2, pag. 84 seqq.

(3) Geog. Fabr. in not. ad Poet. Christ., pag. 102, edit. Basil. 1563, apud Jo. Oporin.

(4) Gryn. Orthod. tom. I, part. II, pag. 3, edit. Basil. 1569, apud Henr. Petri.

(5) Pith. Advers. lib. I, cap. 16.

(6) Bolland. tom. II Maii, pag. 99.

(7) Id. tom. III, Mart., pag. 477, § 2.

(8) Bign. Biblioth. PP. tom. I, pag. 63, ed. Paris. 1573.

(9) Baron. ad ann. 166, § 4.

(10) Jo. a Bosco Biblioth. Floriac. part. III, pag. 22.

(11) Baron. ad ann. 112, § 4.

(12) Id. ad ann. 166, § 4.

(13) Bona, De reb. liturg. lib. I, cap. 3.

pum virorum basilicis et conventibus dimitterentur : unde ad ipsum etiam conventum indicandum *Missæ* pro voce *missio* vulgo usurpabatur; quomodo *accessæ* pro *accessio*, *ultæ* pro *ultio*, *remissæ* pro *remissio*, *offensæ* pro *offensio* et id genus alia. *Missæ* pro *missione*, hoc est præteritum passivum generis feminei pro nomine verbali apud Grammaticos frequens est, inquit Josephus Vicecomes (1) : *missio* autem pro *dimissione*, sumpta est ex re militari. Vide Barnabam Brissonium (2). Hinc Avitus (3) : *In ecclesiis, palatiis sive prætoribus Missæ fieri pronuntiat, cum populus ab observatione dimittitur: nam genus hoc nominis etiam in sæcularibus auctoribus invenietis.* Hanc rem erudite pertractat Panvinius in opusculo ms. Vaticano 4975, quod est de Missarum et Liturgiæ vocibus. Vide etiam Baronium (4). Cangii Glossarium Latinum et Jacobum Benignum Bossuetum (5).

« Dum ergo Pius scribit ad Justum, se *Missas agere cum pauperibus in domo Euprepie*, de conventibus intelligit, non de simplici *missione catechumenorum* aut de *sacramentorum administratione*, ut viri docti putarunt. Notanda est etiam formula *agere missas*, quæ tanquam vetus communisque in re sacra, semel iterumque usurpatur apud Victorem Vitensem (6). Pearsonius ex hac eadem Epistola confectum existimat (7) decretum apud Gratianum (8), ubi altare cum quatuor linteis fieri statuitur : de quo Latinum Latinum, Franciscum Tolletum et Franciscum Turrianum inter se disputasse colligimus ex Latini lucubrationibus tom. I, pag. 369. Profecto si id verum est quod ait Pearsonius, decretum illud oportet esse antiquissimum, et ex sincero fonte deductum : illa enim Epistola sincera est et antiquissima.

## II

« Vocem *superbeate* quam peculiari caractere signavit Blondellus, nec *simplicem* neque *Latinam* censuit Tillemontius. Ea tamen nihil ad purioris Latinitatis regulam exactius : nam *superbeate* idem est ac *valde beate*; ut aurei sæculi scriptor Virgilius nos docet (9), ubi de Junone in Trojanos irata sic canit :

*His accensa SUPER, jactatos æquore toto  
Troas, etc.*

nempe *valde accensa*. Et infra (10) Andromachen loquentem inducit, cum donis Ascanium oneraret :

*..... cape dona extrema tuorum.  
O mihi sola mei SUPER Astyanuctis imago.*

Ubi *super*, id est *valde, expresse, vehementer*, explicat Servius : quæ exempla in eandem sententiam affert Nonius Marcellus. Ad hæc quis ignorat primos illos Ecclesiæ Patres non elegantiam sermonis, sed sanctam modestiam verbis et moribus exprimentes, vocabulis et dicendi modis a vulgo petitis sæpe usos ? Audiamus Hieronymum, de Hegesippo, sancto Pio æquali, scribentem (11) : *Ecclesiasticorum texens historias, quinque libros composuit sermone simplici; ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem.*

## III.

« Viris doctis aqua hæret, ubi Pius Viennam

- (1) *Vicecom.* lib. I, De Missæ ritib. cap. 5.  
 (2) *Brisson.* lib. IV, De formul. prope finem.  
 (3) *Avit.* Epist. 1.  
 (4) *Baron.* ad ann. 34. § 9.  
 (5) *Bossuet.* Expl. prec. miss. § 2.  
 (6) *Vit. Vit.* De persecut. Vandal. capp. 2 et 13.  
 (7) *Pears opp.* posth. pag. 268.  
 (8) *Gratiam.* Distinct. II, de Consecr. C. Si per negligentiam.  
 Vide *Coutant.* Epist. Rom. Pont. pag. 69, § 7.  
 (9) *Virgil.* lib. I Æneid. v, 29.  
 (10) *Id.* *ibid.* lib. II, v. 489.

A *Senatoriam urbem* appellat. Blondellus enim hanc notulam ibidem appendit : *Cur vero SENATORIA Vienna dicatur, doceat qui potest.* Dodwellus item vel hinc utramque Epistolam respuens, hæc profert (12) : *Urbem Viennensem SENATORIAM appellat in utraque Epistola Pseudo-Pius; quod quo jure fecerit, plane nescio.* Idem Blondellus in libro de Primatu, pag. 713, ubi a sua priore sententia recedens, utramque Epistolam sinceram agnovit, Viennam quidem *Senatoriam* antiquitus dictam fatetur : sed unde illi hoc nomen adhæserit, se nondum assecutum prodit, suggillatque Philippum Berterium quasi ab Adone illud primo inventum tradidisset : de quo tamen Berterius non cogitavit. Tillemontius vero idem vocabulum, Epistolæ nequaquam proprium, cuique Viennensi magis, quam pontifici secundi sæculi consentaneum pronuntiat. Sic critici, de rebus antiquis præpostere judicantes, per avia et devia feruntur. Sed non ita quidem judicavit Claudius Drusi filius in oratione super civitate Callis danda apud Gruterum (13) : ubi ante Pium sæculo integro, et eo amplius, de eadem urbe Vienna sic loquitur imperator : *Ornatissima ecce colonia, valentissimaque Viennensium, cum longo jam tempore SENATORES huic curiæ confert.* Videntur de Vienna *Senatoriæ* cognomentum acceperit ? Gregorius Turonensis Viennensem civem et episcopum, nomine Virum, *Senatorem* appellat : *Obiit,* inquit (14), *Evantius Viennensis episcopus, in cujus sedem Virus presbyter de SENATORIBUS, rege eligente, substituitur.* Avitus Viennensis episcopus a Gregorio nequaquam abludens, hæc habet (15) : *Viennensis SENATUS, cujus tunc numerosis Illustribus curia florebat.* Rursus in epistola ad Festum se vocat *SENATOREM Romanum*, cum esset civis Viennensis. Ad hæc in epitaphio dicitur sepultus *in monasterio sanctorum Petri et Pauli apud SENATORIAM Viennensium urbem.* Sic Avitus. *Senatoriæ* autem nomen a Romanis Viennæ inditum, quod ejus Senatus Gallias moderaretur, auctor est C. Ado in Chronico. Sed Philippus Berterius (16) Adonem errasse contendit. At erraverit ille in causa nominis assignanda : in nomine ipso quidem antiquitus assignato nequaquam erravit.

## IV.

« Quod scribit Pius de presbyteris ab apostolis educatis : *Qui a Domino vocati in cubilibus æternis clausi tenentur*, peculiari caractere tanquam obelo dignum notavit Blondellus. Hic tamen verba et sensus perpendi possunt. In verbis nemo non videt, Pium respexisse illud psalmi CXLIX, 5 : *Ersultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis; de quo Lucas XVI, 19, et Augustinus (17).* Vide Ludovici Cappelli dissertationem, quam inscripsit *Mortuorum vitam* (18). In sensu perpendi potest celebris et olim pervulgata doctrina de *Receptaculis animarum*. De receptaculis animarum et statu post mortem antiqui Patres disputantes, ab ipsis apostolorum temporibus ad Gregorii XI pontificatum Florentinumque concilium. hoc est toto ferme quatuordecim sæculorum spatio, incerti interque se dissentientes fuerunt, veluti in re de qua Ecclesia catholica nondum quidquam definierat : singuli enim in suis sententiis principia sibi a divinis litteris suppeditari existimabant. Consulatur præfatio ad librum sancti

- (11) *Hieron.* De vir. illustr. cap. 22.  
 (12) *Dodw.* ad Pears. pag. 90.  
 (13) *Gruter.* pag. 700. in tab. II. Lugdun.  
 (14) *Gregor. Turon.* Hist. lib. VIII, cap. 39.  
 (15) *Avit.* Hom. de rogat. apud Sirmond. tom. II, opp. pag. 136.  
 (16) *Berter.* Diatr. II, pag. 208.  
 (17) *Aug.* lib. II, quæst. XXXVIII, § 3 in Evangel.  
 (18) *Cappell.* opp. crit. 243 258, edit. Amstel 1689, ubi citata dissertatio inscribitur : *De statu animarum post mortem.*

Ambrosii *De bono mortis* (1). Nonnulli eorum, animas corporibus exutas et procul a visione Dei in quibusdam habitaculis conclusas, ad usque generalem resurrectionem servari putabant, ibi mercedem operibus suis debitam, hoc est divini conspectus fruitionem in die ultimo reddendam, expectaturas: qua de re multa congerit clari ingenii et doctrinae theologus Dionysius Petavius (2). Verum quidem est, inter hujus sententiæ sectatores, Millenariorum somniis quosdam imbutos fuisse, ut Irenæus, Tertullianus, Apollinarius, Lactantius, Victorinus et alii. Non omnes tamen Patres, qui ante magnum diem suspensam sanctorum felicitatem astruere visi sunt, Chiliastarum nugis adhæserunt: non quidem Ambrosius, Augustinus, Nazianzenus, Chrysostomus, Bernardus et alii, quorum sententias digere Sixtus Senensis (3) et Guillelmus Estius (4).

« Infinitus essem, si huc omnes adducerem qui in hac sententia fuerunt, antequam œcumenica synodus Florentina decerneret, animo nullo post baptismum peccato sædatis, vel jam contracto omnino purgatos, in cælum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritum tamen diversitate alium alio perfectius. Ad quam quidem Florentini concilii sanctionem Sixtus Senensis facile reduci arbitratur nonnullas eorumdem Patrum sententias, si duplicem scilicet beatitudinis statum divino conspectu fruendum consideremus: unum animæ sine corpore usque ad universale iudicium: quem statum veteres variis nominibus describentes, dixerunt *sinum Abrahamæ, paradisum primis parentibus ademptum, Altare exterius, sub Altare Dei, Sanctorum vestibulum, Atria Dei, promptuaria animarum, secreta receptacula, animarum custodiam, servitutis requiem, adeptas repromissiones et etiam cubilia æterna*, ut noster pontifex Pius. Alter status animæ considerari potest, resumpto corpore post extremum iudicium: quem statum similiter diversis appellationibus nuncuparunt, *domum Dei, Altare interius, super Altare, sublimiora cælorum et consummationem gloriæ*. Proinde cum apud veteres Patres legimus justorum animas vivere aut in *sinu Abrahamæ, aut in paradisi nemore, aut sub altare Dei, aut in abditis receptaculis, aut in cubilibus æternis*, ibique expectare futuræ gloriæ præmia: non statim suspicari debemus, eos credidisse, animas sanctorum carere divini intuitus gloria, et nondum potiri perfecta illa et consummata felicitate, quam post corporis resurrectionem expectant. Ita rem explicat etiam Magister Sententiarum (5), notans ex Augustino, *magis futurum gaudium Sanctorum in resurrectione, quam fuerit ante*: tunc enim consummabitur felicitas. Ideo Bernardus enarrans cap. vi Apocalypseos, docuit animas sanctorum usque ad diem iudicii quiescere sub altare Dei, id est in sola visione humanitatis Christi, donec veniat tempus in quo Filius Dei post universalem resurrectionem ostendat se ipsum illi in forma Dei una cum Patre et Spiritu sancto. Deinde alibi (6) tres animarum status recenset: I. in corpore corruptibili, II. sine corpore, III. in beatitudine consummata.

(1) Ambros. Opp. tom. I, cod. 85, edit. nov. BB.

(2) Petav. Dogm. theol. tom. I, cap. xii, xiv, pagg. 503 seqq.

(3) Sixt. Sen. Bibl. sacr. lib. vi, adnotat. cccxlv.

(4) Est. lib. iv. Sentent. distinct. xlv, § 6.

(5) Pet. Lomb. lib. iv distinct. xlv, § 1.

(6) Bern. Serm. 3, De fest. Omn. Sanctor.

(7) Lactant. divin. Institut. lib. vii, cap. 21.

(8) Tertull. De anim. cap. 55.

(9) Joan. xiv, 2.

(10) Thomas. Psalter. edit. II, ann. 1697, p. 644.

(11) Alph. ad Castro lib. iii adv. hæres. pag. 221, opp. edit. Paris. 1571.

(12) Hilar. in psalm. cxx, 16.

(13) Id. in psalm. cxix.

(14) Coutant. præfat. ad opp. Hilar. pag. 63, § 6,

A \* Ex his nemo non videt germanam antiquitatem Epistolæ I sancti Pii vel illa phrasi invicte probari, quia in cubilibus æternis animæ Sanctorum clausæ teneri dicuntur. Licet vero eadem phrasis illi per similibus videatur qua utitur Lactantius (7), ubi animas ait in una communique custodia teneri: quem loquendi modum S. Hieronymus ferre non potuit in Vigilantiæ, cui propterea exprobravit: *Tu apostolis vincula injicis, ut usque ad diem iudicii teneantur in custodia*: attamen S. Pius, veluti cælorum magister, unus omnium tutiorem et faciliorem viam pressit, dum sanctorum animas non alibi quam in cœlesti beatitudine discrete collocavit, earum cubilia æterna appellans; non vero corporeas, non subterraneas, neque ad extremum usque iudicium tantum duraturas habitationes, ut sensit Lactantius et Tertullianus (8). Hæc cubilia sunt mansiones illæ in domo Patris, quibus Christus varios gloriæ beatorum gradus designavit (9). Hinc piæ memoriæ cardinalis Thomasius, interioris ecclesiasticæ antiquitatis longe peritissimus, cubilia in psalmo cxxix, mansiones interpretatus est (10). Atque hæc procul sunt ab erroribus, nullam animam ante diem iudicii beatam esse dicentium, de quibus accurate agit Alphonsus a Castro (11). Sanctorum autem animæ dicuntur cubilibus clausæ teneri, vel ad introitum regni cœlestis per custodiam reservari, ut loquitur Hilarius Pictaviensis (12), quia ibidem protectione et societate Domini ab omni malo liberantur. Unde idem Hilarius (13) nihil nobis a sæculi violentia timendum docet, cum Christi consortium mors acquirat. Consule clarissimos et celeberrimos viros, qui Hilarium nuper ediderunt (14). Hæc satis pro cubilibus æternis sancti Pii vindicandis.

Dum ista cl. Fontanini dictata exscribo atque ab eo Hilarium Pictaviensem excitatum video, præstans illa mihi succurrit dissertatio, qua celebris theologus Angelus Maria Feltrius ejusdem sancti Pictavorum antistitis sententiam de Piorum statu in sinu Abrahamæ ante Christi mortem illustrat. In eo siquidem non minus diligenter elaborato quam elucubrato scripto, quo sibi ad illam satis implexam quæstionem enodandam viam sternat, demonstrat vir doctissimus (15) sanctum Patrem docuisse cœlestem gloriam non expectata carnis resurrectione justis Novi Testamenti a Deo esse collatam. Cujus quidem Feltrianæ disputationis alibi opportunior usus. Cæterum Ecclesiæ catholicæ doctrinam qua erudimur, beatificam Dei visionem statim consequi justos quoscunque ab omni labis nexu liberos hinc emigrantes, hac nostra demum ætate contra Burnetum, Chandlerum atque Ruchatum, qui eos Britannos nuper est assectatus (16), strenue confutati sunt ex Patribus tum Græcis tum Latinis, Muratorius præ cæteris (17), Maffei (18), Ballerini (19) alique: ut superiore sæculo Petavius (20), Thomassinus (21), Huetius (22). Sic porro pergit Fontaninus.

## V.

« Aliud falsitatis argumentum Pii epistolæ objici video per hæc verba: *Salutant te Soter et Eleutherus* num. 203.

(15) Feltr. S. Hilar. sentent. de Pior. Stat. in sinu Abrahamæ.

(16) Ruchat, Lettres et Monuments de trois Pères apostoliques, pagg. 74, 559, 658.

(17) Murat. De Paradis. regniq. cœl. glor., cap. 2, p. 8 seqq.

(18) Maff. Opusc. eccl., pag. 176.

(19) Ballerin ad S. Zenon. Sermon. Dissertat. II, cap. 10, pag. 107.

(20) Petav. l. c.

(21) Thomass. Theolog. dogm. tom. II, lib. iv, cap. 18, pag. 372.

(22) Huet. Origeniam. lib. ii, quæst. xi, §§ 9 15, pag. 144 seqq.

*digni presbyteri*. Nulla hic mentio Aniceti fieri putatur, propterea quod ab auctore epistolæ dudum ante Pium in Pontificatu mortuus existimaretur, errore ut creditur hausto ex Catalogo Henscheniano et ex Anastasio. Ita Pearsonius (1): quo etiam iudice, Eleutherus sub Pio presbyter esse non potuit, qui erat *diaconus* sub Pii successore Aniceto, ex Hegesippo teste oculato apud Eusebium (2). Sed nonne ex codicibus mss. Anastasii, et ex consularibus Bucheriani Catalogi, ab Henschenio postmodum male habiti, Aniceto Pium, non Pio Anicetum præponi jam vidimus? Qui ergo errorem modo excogitatum, inde olim haurire potuit auctor epistolæ? At vero præteritus non fuit Anicetus, propterea quod reapse tunc amplius vivere non crederetur; sed aliam ob causam nobis ignotam, vel quod Urbe tunc procul abesset dum verus Pius veram epistolam scripsit: etenim viri illi sanctissimi non semper una versabantur, sæpe numero huc et illuc magnis fidelium necessitatibus occurrentes. Pergo ulterius. Sicuti ex hac salutatione non sequitur, alios presbyteros et diaconos tunc Romæ non vixisse præter *Sotrem* et *Eleutherum*, propterea quod Pius singulos non expresserit; eodem pacto futillissimum est affirmare, Anicetum ideo præteritum quod ab auctore epistolæ jam pridem ante Pium mortuus crederetur, errore scilicet ex corruptis Pontificum nomenclatoribus hausto. Concordius in Actis apud Bollandum (3) quæ elegantiam commendantur a Tillemontio (4), dicitur in subdiaconum consecratus a Pio nostro, qui tamen nullam ejus mentionem facit in Epistola I ad Justum.

« Quod *Eleutherum* spectat, a Pio cum *Sotere presbyterorum* nomine comprehensum, quem tamen Hegesippus sub Aniceto Pii successore *diaconum* dixerit, facillime respondetur. Etenim S. Joannes Chrysostomus ait (5), antiquitus nomine *presbyterorum* etiam *diaconos* venisse. Hoc præsertim factum ubi uterque simul contigit memorari, ut in epistola Pii, in qua *senioris* seu *presbyteri* nomen ad *diaconum* honoris causa extensum est. Imo non *diaconos* tantum, sed et reliquam cleri partem complexum idem *presbyteri* nomen, docet epistola IX S. Cornelii papæ (6). Pari pacto *diaconi* nomen in Ecclesia antiqua presbyteros complexum, viri docti ad Clementinam epistolam I ad Corinthios cap. 42 adnotaverunt, nempe ad ministerii nomen, non ad alterutrius gradum respicientes. Cum vero *diaconi* nomen *ministerium* denotet, fortasse Hegesippus *ministerium* generatim sumptum judicare voluit, ubi *Eleutherum* Aniceti *diaconum* dixit. *Minister* enim late sumptus, non unus *diaconus*, sed etiam *presbyter*. Cæterum reliqua in epistola Pii dum recte conveniunt unum *presbyteri* nomen *Eleuthero diacono* ascriptum nos remorari non debet, quominus hac una ex causa illam Pio adjudicemus.

## VI.

« Blondello denique stomachum movet, a Pio palmam *perseverabilem* dici, et epistolam his verbis claudi: *Cerinthus primarches Satanæ multos avertit a fide*. Sed utrumque infeliciter: palmam enim *perseverabilem*, sive æternam duraturam, deduci a *persevero*, ut ejusmodi sexcenta alia, neco nisi ca-

**A** villandi studio negaverit. Illud porro gravius, quod in *Cerintho* reprehenditur: scilicet plus æquo longævum fieri, qui *multos* adhuc *avertere a fide* sub Pio tradatur. At si auctore Baronio (7), Polycarpus apostolorum discipulus Pii tempora pertigit, *Cerinthus* etiam pertinere potuit; præcipue ubi iis consenserint, qui *Cerinthum* post Carpocratem hæreses suas sparsisse crediderunt. Carpocrates enim erroribus suis inclaruit imperante Hadriano. Sed hæc nihili facit Nicolaus Nurrius (8): cum Irenæus, ejus vestigiis reliqui instituerunt, in sua hæreticorum recensione tempora invertens, chronologico ordini minime inhæreat. Polycarpus autem, *Cerintho* jam amoto cæterisque apostolis jam demortuis, Joannem valde senem audivit. Quare Epiphanius (9) scribit, *Cerinthum* et Ebionem antecessores *Valentinum*, quem illis posteriorem facit.

« *Cerinthus* ergo sub Pio superesse non potuit: proptereaque in alteram Baronii sententiam eundem est; ut non *Cerinthum viventem*, sed ejus hæresim in sectariis grassantem multosque avertentem a fide Pius innuere dicatur. Satis enim seducti a *Cerintho* videri poterant, qui a recto fidei instituto per ipsam ejus doctrinam abstraherentur: quomodo *Tatianus* qui insanas *Valentini* de *Æonibus* opiniones animo imbiberat, ut docet Irenæus, cui Clemens Alexandrinus ejus æqualis suffragatur (10). Ait enim, hæresiarcham e *schola Valentini* prodisse: non quod *Valentini* auditor fuerit unquam, sed quod ejus exceperit disciplinam, a qua totum habuit fere quidquid habuit. Hinc auctor appendicis ad Tertullianum de *Præscriptionibus* affirmat *Tatianum totum cum Valentino sapere*, observante *Longuerueo* (11). Gnostica errorum portenta quæ *Cerinthus* excogitavit, deinde per *Valentinum* primum ejus sectæ discipulum in systema crevisse, egregio doctrinæ apparatus ostendit Georgius Bullus (12). *Valentinus* autem, pontifice Hygino Pii decessore, pravorum dogmatum plastra Romam invexit, viguitque sub Pio usque ad Anicetum superstes, uti ex Irenæo et Eusebio in comperto est. Non ergo de *Cerintho* etiamnum vivo intellexit Pius, sed de eodem in *Valentino* contra Christi fidem grassante: neque verbum *avertit* pro tempore elapso accipiendum, ut accepit Labbeus (13); quippe insolens valde fuisset, de clade per *Cerinthum* ipsum catholicæ religioni olim allata, Justum episcopum tam sero a Pio certiolem factum; qui quidem Justus nuper aut paulo ante Roma discesserat.

« Censuram vero in vocem semigræcam *primarcha* seu *primarches*, qua Pius *Cerinthum* ornat, non moror: quo enim tempore cives Romani Græcis erant permisti, adeo familiaris fuit Romæ Græcus sermo, ut imperator M. Aurelius integros libros Græce conscripserit, et Christiani suas Apologias illidem Græce imperatori eidem obtulerint. Quare, ut egregie adnotat V.C. Philippus Bonarotius (14), nihil mirum si tunc in ore vulgi Græcus sermo cum Latino aliquando coaluit. Pari pacto ex eadem causa in Græcorum scripta Latina vocabula irrepererunt. In Epistolis genuinis Ignatii martyris legimus (15) *ἔξemplάριον*, *exemplarium* sive exemplar; item (16) *ὑπερῶς*, *desertor*; *ὑπερῶς*, *deposita*; *ἄκκεπτα*, *accepta* (17). In nummo etiam apud Gihbertum Cuperum (18), *ΔΙΥΟΣ*, *divus*. Non enim in

(1) Pearson. Opp. posthum. pag. 268 et Vindie. Ignat. part. n. cap. 13, pag. 169.

(2) Euseb. Hist. eccl. lib. iv, cap. 22.

(3) Rolland. Act. SS. tom. I, Januar. pag. 286.

(4) Tillemont, Mém. eccl., tom. I pag. 286.

(5) Chrysost. in Epist. ad Philipp. i, 1.

(6) Coutant. Epist. Rom. Pontif., pag. 147. not. 6.

(7) Baron. ad an. 166, § 2.

(8) Nourr. Appar. ad bibl. PP., tom. I, p. 281.

(9) Epiphani. Hær. xxxi.

(10) Clem. Alex. Strom. lib. iii, p. 465.

(11) Longuer. p. 13. Dissertat. in Tatianum ad calcem edit. Oxon. 1700, 8.

(12) Bull. Defens. fid. Nic. sect. 3, cap. 1, a. p. 288.

(13) Labb. ad Concil. tom. I, p. 576.

(14) Bonar. Observ. ad sacr. Vitr. p. 203.

(15) Ignat. Epist. ad Smyrn. cap. 12, ad Ephes., cap. 2, ad Trall., cap. 3.

(16) Id. Epist. ad Polycarp., cap. 6.

(17) Vid. supra Prolegom., cap. 7, § 4, p. 49.

(18) Cuper. Apotheos. Homer., p. 243.

nostra Epistola, ut suspicatur Blondellus, antiqui codices *patriarcha* potius quam *primarcha* exhibuisse putandi sunt, cum *patriarchæ* nomen Pii tempore extra Hebræos non innotesceret. Nec alias Pius voce tam sacra in Cerinthi gratiam abusus fuisset.

« Præterea (1) veritati examussim cohæret et illud quod tradit Pius, presbyteros scilicet apostolorum alumnos, tunc diem suum obiisse. Prima enim apostolorum successio usque ad tempora

### SECTIO III.

#### De Epistola II ejusdem S. Pii Justo Viennensi episcopo inscripta.

IV. « Multa in Epistola II, improbat Blondellus. Suntque hujusmodi.

#### I.

« Gaudium inæstimabile facere : qua tamen dictione vix quidquam magis Latinum afferri potest nisi Livium barbare scripsisse dicamus. Livius enim dixit (4) : *Inæstimabile gaudium*. Cicero (5) : *Recta et honesta quæ sunt, ea FACERE per se LÆTITIAM*. Sic *terrorem, pavorem, dolorem et luctum FACERE*, occurrit apud Ciceronem et Livium ; qui Circum Tiberi superfuso, *terrorem ingentem FECISSE* scribit (6). Sed nec verbum *recognoscet* arripet Blondello ; et tamen Livius ait (7) : *Biduum ad RECOGNOSCENDAS res datum*. Virgilius (8) :

*Dona RECOGNOSCIT populorum.*

Tacitus (9) : *RECOGNOSCERE spatia certaminum*. Atque iterum (10) : *RECOGNOSCENDA dona*.

#### II.

« Martyrum corpora cur *membra Dei* perperam dici putat Blondellus, si Paulus, *nescitis, inquit (11), quoniam corpora vestra MEMBRA sunt CHRISTI? Tollens ergo MEMBRA CHRISTI, faciam membra meretricis? Absit*. Et paulo post : *An nescitis, quia MEMBRA vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et PORTATE DEUM in CORPORE vestro (12).*

#### III.

« Negat apostolos Stephanum curavisse, quod Pius tamen affirmat. Sed Lucas rem ita narrat (13) : *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Hierosolymis : et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, PRÆTER apostolos. CURAVERUNT autem Stephanum VIRI TIMORATI, et fecerunt planctum magnum super eum*. Si apostolos Hierosolymis permansisse certissimum est ; cur ipsimet, viri profecto timorati, corpus Stephani curare non potuerunt ? quod quidem non tam a Luca, quam a majorum traditione Pius didicisse credendus est. *Curare* hoc loco pertinet ad rem funerariam ; unde Suetonius (14) : *Imperavit, aquam simul et ligna conferri CURANDO mox cadaveri*.

#### IV.

« Displicet etiam Blondello hæc clausula Episto-

(1) Fontan. I. c., § 4, p. 90 et § 6, p. 92.

(2) Vales. ad Euseb. Hist. eccl., lib. II, cap. 23, subinit.

(3) Bolland. Act. SS. Maii, tom. III. p. 477.

(4) Liv. lib. XXIX, cap. 32.

(5) Cic. de Finib., cap. 1.

(6) Liv. lib. VII, cap. 3.

(7) Id. lib. V, cap. 13.

(8) Virg. Æneid., lib. VIII, v. 721.

(9) Tacit. Hist., lib. II, cap. 70.

(10) Id. Fit. Agric., cap. 6.

(11) I Cor. VI, 15, 19, 20.

(12) Vid. supra cap. 1, § VIII, ubi Clementis Rom. Epistolæ I ad Corinth. locus insignis de CHRISTI divinitate propugnatur.

(13) Act. VIII, 1, 2.

(14) Sueton. in Neron., cap.

A M. Antonini producitur : quo imperante Polycarpus Joannis Apostoli discipulus coronam martyrii reportavit, ut in Eusebium notat Valesius (2). De sanctis autem Timotheo et Marco, qui in hac eadem epistola I. *per bonum certamen* transiisse dicuntur, mentio superest in tabulis ecclesiasticis die 24 Martii ; ubi ex veteri Martyrologio ms. S. Cyriaci, sub Antonino passos tradit Baronius : deque iis agunt Hagiologi Bollandiani (3). Alteram Pii epistolam vindicare pergamus. »

B læ II : *Salutat te senatus pauper Christi, apud Romam constitutus*. Non dissimulat, in Constitutionibus apostolicis dictum (15) *συνέδριον καὶ βουλὴν τῆς ἐκκλησίας, Senatum et curiam ecclesiæ* : et ab Ignatio (16), *εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, in locum Senatus apostolorum*. Verum *an similia scripserit Pius, judicent pii*, inquit criticus. Sed cum sacra hac phrasi usus fuerit apostolus Paulus (17) ; cumque jam in Ecclesia invaluisse sæculi II, initio, quo Ignatius martyr scripsit ; non video cur eadem exinde usurpare non potuerit etiam pontifex Pius. Ea paulo post usus est Origenes (18) : *Ὅστω δὲ καὶ βουλὴν ἐκκλησίας θεοῦ βουλῆ τῇ καθ' ἑκάστη πόλιν συνεζέταζων, εὐροῖς ἂν τινες μὲν τῆς ἐκκλησίας βούλευται ἄξιοι εἴσιν, εἴ τις ἐστὶν ἐν τῷ παντί πόλις τοῦ θεοῦ, ἐν ἐκείνῃ πολιτεύεσθαι*. Sic etiam SENATUM ecclesiasticum si componas ad Senatum singulorum civitatum, invenies quosdam SENATORES ecclesiasticos. dignos ubivis gentium administrare divinitus constitutam rempublicam. In vetustissimis Liturgiis a Joanne Mabillonio illustratis (19), Sacerdotes, id est episcopos, seniores, id est presbyteros, antiqua phrasi dictos invenies.

« Sed Hermam audiamus ecclesiasticum sæculi apostolici scriptorem (20) : *Tu autem, inquit, leges in hac civitate cum SENIORIBUS, qui præsumt Ecclesiæ, consilio tamen, non potestate clavium*. Vide Petavii libros de ecclesiastica Hierarchia contra Salmasium. Apud Origenem (21), Rufino interprete, hæc leguntur : *Tu vero annuntiabis presbyteris Ecclesiæ. Ergo Seniores et Senatus, sunt presbyteri et presbyterium*. Quare Senatum et Curiam, ex episcopis, presbyteris et diaconis componi declarant Constitutiones apostolicæ (22). Hinc tres distinctos in Ecclesia gradus aut ordines sacros fuisse nos docent genuinæ epistolæ Ignatii, ante Pinam passi : I. *Episcopum* singularem ; II. *Presbyterium* seu presbyterorum Senatum ; III. *Diaconos*. Singulos doctissime comprobat Henricus Hammondus (23). Pius ergo verbis illis, *Senatus pauper Christi*, suos presbyteros designavit : eandemque phrasim postea usurparant subsequentium etiam sæculorum scriptores nostri, Optatus (24), Ennodius (25) et Sidonius (26) ; apud quos Ecclesiæ Senatus seu presbyterium non semel occurrit. Hoc presbyterium Rufi-

(15) Const. apost. lib. II, cap. 28.

(16) Ignat. Epist. ad Magnes., cap. 6.

(17) I Tim. IV, 14.

(18) Origen. contr. Cels. lib. III, § 30, noviss. edit. Paris. et p. 129, edit. Cantabr. Spenceri, ex qua Græca apposita cum versione Tarini.

(19) Mabill. de Liturg. Gallic., p. 307, 337.

(20) Herm. Past. lib. I, Vis. II, cap. 4 in fine.

(21) Origen. Pilocal., cap. 1, ex lib. IV, de Princip. cap. 2.

(22) Const. apost. lib. cap. 49 seqq.

(23) Hammond. pro episcopat. jurib. Dissert. II, cap. 26, p. 117.

(24) Optat. Gest. Cæcil. et Felic.

(25) Ennod. Natal. Laurent.

(26) Sidon. lib. IX, epist. 3.



nus *cleri Romani Senatum* vocat (1) : quas voces apud Latinos ab ætatis notione ad honoris et dignitatis appellationem transiisse notat Petavius (2). Morem salutandi in sine litterarum, Christianis tunc fuisse acceptissimum, nos docet Ecclesia Smyrnensis in epistola de martyrio sancti Polycarpi, qui fuit Pio æqualis : ibi enim sic legitur (3) : *Salutate omnes sanctos. Hi qui nobiscum sunt, omnes salutant* : qua in re magnum Ecclesiæ doctorem majores nostri imitari studebant.

« Hæc de stylo posterioris epistolæ, quam Beveregius *indubitata* vocat (4), ejus testimonio usus, ut tres distinctos in Ecclesia ordines, episcopos, presbyteros et diaconos; A. D. 143, constitutos ostendat.

« V. Tillemontius post Blondelli et Pearsonii censuras a me hactenus refutatas, alteri epistolæ sancti Pii majus negotium facessere putat, quod in eadem traditur de Vero Viennensi episcopo e vita sublato, deque Justo in ejus locum a fratribus constituto : quæ quidem, inquit vir eruditus (5), in concordiam redigi nequiquam possunt cum Sulpicio Severo affirmante, nullum Christi martyrem ante M. Aurelium imperatorem, sive ante annum vulgarem 70 in Galliis obiisse. Ad hæc Verum hunc episcopum et martyrem vel nusquam, vel confessoris, non *martyris* titulo memorari contendit : ideoque non ad secundum, sed ad quartum sæculum pertinere, eoque interfuisse concilio I Arelatensi. Chronico autem Adonis episcopi Viennensis, *Crescentem, Zachariam et Verum* (quem postremum silet Ado ipse in Martyrologio) ab aliena manu insertos videri, minime vero ab Adone eorandem sanctorum præsulum successore. Addit vir doctus, simplicem *Veri* memoriam superesse in tabulis ecclesiæ Viennensis, at *martyris* elogium deesse in Martyrologio Romano. Sic Tillemontius. Quare hic mihi præcipue laborandum ut *Verum episcopum et martyrem* ecclesiæ suæ Viennensi restituum : inde enim patebit sinceritas epistolæ sancti Pii.

« Porro difficile est creditu Adonem suæ ecclesiæ primordia tam supine ignorasse, ut ea Chronico suo non inseruerit, cum tamen de aliis ecclesiis id accurate præstiterit. Quamobrem Adonem ipsum, et non alium, seriem præsulum Viennensium a Crescente deductam, in Chronico suo digessisse autumo : consonat enim ipsemet Ado in Martyrologio (6), ubi hanc eandem originem litteris consignavit hoc pacto : *Sanctus Crescens Viennæ, civitate Galliarum, per aliquot annos sedit, ibique Zachariam discipulum pro se episcopum ordinavit*. Ante Adonem eadem scripserat Paulus I Pontifex in epistola ad Carolum Magnum, ubi Ecclesiam Viennensem, *apostolorum collegam Crescentem, magistrum habere* meruisse affirmat (7). Crescentem Gallias religionem edocuisse, ex Pauli Epistola II ad Timotheum colligit Petrus de Marca (8). Neque ulla alia Galliarum Ecclesia præter Viennensem Crescente antistite gloriatur. Nam vir eruditus Nicolaus Serarius qui Crescentem, episcopum Moguntinum facere nititur (9), nullam ejus mentionem in illius ecclesiæ tabulis haberi faletur : quod

A primo auctori non contigisset. Petrus Cluniacensis, Galliarum ecclesiarum conditores enumerans, ait (10) : *Irenæus Lugdunensis, Crescens Viennæ, etc.* Passus fuit sub Trajano, ex Baronio (11). Hoc eodem tempore martyrism subisse traditur ejus successor *Zacharias*, quem excepit *Martinus* ; atque hunc sub eodem Trajano secutus est *Verus*, ut Ado auctor est. Quatuor autem episcopos brevi intervallo Viennensem ecclesiam rexisse nemo mirabitur qui perpenderit in Hierosolymitana *quindecim* præsules *triginta* annis sedisse, teste Eusebio (12) : et in Romana ab A. D. 883 ad A. D. 912, nempe solis *triginta* annis *quatuordecim* pontifices numerari, ut constat ex Baronianis Annalibus. *Verus* ergo quem nihil vetat sedisse usque ad A. D. 146, quo universæ Ecclesiæ præesse cœpit Pius, non sub Trajano, sed sub Antonino Magno passus jure dicetur, salva auctoritate Sulpicii, cujus hæc sunt verba (13) : *Sub Aurelio Antonini filio, persecutio quinta agitata : ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta.*

B « Hunc Sulpicii locum critici recentiores, Sirmondus, Launois et Tillemontius, interpretatione ex ipsius juris et rhetorum principiis petita, utinam cum diptychis ecclesiasticis in concordiam redigere maluissent : generi enim per speciem derogari docent jurisconsulti. Petrus de Marca jure quidem, mea sententia, arbitratur (14), Sulpicium loqui de martyris *generalibus*, nimirum de cæde pontificum simul et plebis Christianæ, quemadmodum in Ecclesiis Viennensi et Lugdunensi sub M. Aurelio factum est ; cui cladis similis ante in Galliis nulla contigerat. Nec propterea hæc ipsa *generalis* clades impedit, quin antiquitus alii præsules pro Christo mortem obierint, puta Crescens, Zacharias cæterique Viennenses ; absque ullo tamen generali Christianæ plebis excidio, ut postea sub Decio pariter factum est, qui in solos episcopos sæviit. Non ideo tamen in rebus pertexendis erravit Sulpicius, qui summa tantum illarum capita libavit, præteriens Gallicanarum sedium origines, quas omnino intactas reliquit.

C « Quod vero ait, *serius trans Alpes Dei religione suscepta*, hoc recte quidem ait comparatione habitam partium orientalium ipsiusque Italiæ, quæ doctrina fidei prius imbuta est, proventuque uberiori, quam Galliarum, profanarum superstitionum tenaciores. Ad hæc Viennam *intra* provinciam Romanam potius quam *intra* Gallias stetisse constat : nam in lemmate Epistolæ *de martyribus Viennensibus et Lugdunensibus* apud Eusebium (15), *Lugdunum* vocatur urbs *Galliæ*, quæ postmodum devicta fuit, quæque tunc extra terminos provinciæ Romanæ censebatur. Non ita *Vienna*, quæ proprie erat in provincia Romana ; ideoque ad illa non extenditur locus Sulpicii : quod tamen de more audacter pronuntiavit Launois. In eodem lemmate primum etiam locum habere Viennam propter ejus Ecclesiæ antiquitatem, auctor est Blondellus (16) ; non vero, quod honoris prærogativa in ordine civili tunc Viennæ præ Lugduno, ex instituto Galbæ competeret, ut visum est Petro de Marca (17) :

(1) *Rufin.* Apol. lib. III, p. 448, edit. nov. Hieron.

(2) *Petav.* de eccl. Hier., lib. I, cap. 12, § 16.

(3) *Smyrn. Eccl.* Epist. de martyr. S. Polycarp., cap. 20.

(4) *Bevereg.* in not. ad Canon, H apost., tom. I, PP. apost. p. 459, cod. 2, sub fin. edit. Amst. 1724.

(5) *Tillem.* Mem. eccl. tom. I, p. 384, t. II, p. 615, et tom. III, p. 624.

(6) *Ado.* Martyr. d. 27 Jun. p. 109, edit. Plantin.

(7) Apud *Jo. a Bosco* Biblioth. Floriac. part. III, pag. 45.

(8) *Marca* Epist. ad Henr. Vales. § 3, pag. 425. Exstat subjecta Dissertat. de Concordia.

(9) *Serar.* Mogunt. cap. 2, pag. 231.

(10) *Petr. Clun.* lib. I, epist. 2.

(11) *Baron.* ad ann. 118, § 4, et in Martyrol. ad d. xxvii Junii.

(12) *Euseb.* Hist. eccl. lib. IV, cap. 5.

(13) *Sulp. Sev.* Hist. sacr. lib. II, cap. 32, pag. 246. edit. Lips. 1709.

(14) *Marca* Epist. ad Vales. § 23.

(15) *Euseb.* Hist. eccl. lib. V, cap. 1.

(16) *Blondel.* de Primat. pag. 714.

(17) *Marca* de Primatib. § 112.

nam in regimine ecclesiastico primis illis Ecclesiæ sæculis, civilis ejusmodi fastigii dignitatem minime attentam fuisse egregie ostendit. Joannes Morinus (1).

« Veri ergo martyrium recte statuitur sub Antonino Pio, quamvis non eo anno quo illud locat Baronius, a quo vocatur (2) *primus Viennensis Ecclesiæ episcopus*, postquam ejus decessores jam memorasset; idque non errore, ut putavit Blondellus; neque consulto, quasi illum *primum* et non *quartum* Viennensem episcopum credidisset, ut sibi persuasit Tillemontius: sed propterea quod *tres*, vel saltem *duo Veri* eam sedem diversis temporibus implevissent, ut mox dicam.

« Nec obstat. ex Adonis Chronico (3) *Verum* . . . D. c. sub Trajano floruisse, et A. D. CLXIII *Justum* ejus successorem martyrio coronatum: cum enim primis illis temporibus fatiscat chronologia Adonis, satis est rem ipsam ab eodem fuisse litteris traditam, licet non adeo certo tempore affixam, eo quod res chronologica esset luxata sæculo IX, quo scripsit Ado.

« Si autem *Verus* qui adest in Chronico Adonis, ab ejusdem Martyrologio abest; non inde consequitur, ab aliena manu in Chronicon irrepsisse, quod Guillelmus Morellus typographus regius cum editione Jodoci Badii, et cum antiquissimo codice Viennensi collatum vulgavit Parisiis A. D. 1561, quippe neminem fugit librariorum in Martyrologiis exscribendis alios sanctos addere, alios omittere consuevisse: unde quot sunt Martyrologii Usuardini codices calamo aut typis descripti, totidem spissa lectionum discrimina in iisdem occurrunt. Pari pacto Desiderius Veri II successor in eadem sede Viennensi, qui martyr obiit A. D. 607, memoratur in Chronico Adonis (4), reticetur in Martyrologio, quanquam ipsemet Ado seorsum ejus martyrium descripsit. Vide Cointium (5). Itaque suscipienda est traditio Ecclesiæ Viennensis quæ *Verum* tanquam *martyrem*, sive ut phrasi utar Adonis, *confessione fidei illustrem* colit die prima Augusti: *victor enim de mundi principe triumphavit*, teste Pio; licet martyrii nota (quod alibi etiam sæpe contingit) desit in Bedæ, Galesinii et Baronii martyrologiis: in Usuardo quoque Carthusiano et Bruxellensi apud Sollerium (6), ubi tamen non *Verus*, sed *Severus* dicitur.

« Ex his patet, huic *Veri* martyri nihil esse commune cum *Veri* illo, qui A. D. 314 interfuit concilio I Arelatensi, in quo sic legitur (7): *Verus episcopus, Beda exorcista, de civitate Viennensi*: ubi nihilominus non *Verum*, sed *Claudium* interfuisse ait Ado (8): forte enim in concilio obiit *Claudius*, cui statim suffectus est *Verus*: quare uterque interesse potuit; nisi idem fuerit binominis, vel Adonem ex Baronio (9) falsum esse malimus; quemadmodum falsus est affirmando, illud concilium ex episcopis *sexcentis* coactum tempore *Nicæni*, cui tamen *undecim* annos præiit, *ducentisque* tantum episcopis constitit. Hic *Verus*, ut notat Baronius ad diem I Augusti, *secundus* est ejus nominis episcopus Viennensis: *tertius* enim qui rectius dicitur *Virus*, vixit A. D. 583, post Evantium et ante Desiderium, ex Adone in Chronico et Martyrologio die III Januarii. Hoc *Viri* nomen alias antiquis minime ignotum observat Petrus Franciscus Chiffletius (10). *Trium Verorum*

A distinctionem post Baronium olfecit etiam Bollandus (11).

« Jam ad *Justum* episcopum *Veri* i successorem descendamus. Ado in Chronico, nimirum in proprio, non in alieno opere, eum non semel quidem, sed iterum et tertium nominat. Nam sub Adriano, ait (12): Hoc itidem tempore *Justus Viennensis Ecclesiæ episcopus, illustrissimus in confessione existit*. Sub Antonino de eodem sic scribit (13) *Viennensium episcopus Justus adhuc clarus habetur*. Et demum sub M. Aurelio (14): *Justus Viennensis episcopus longo tempore exilio maceratus, martyr gloriosus efficitur*. In appendice ad Martyrologium Adonis quod vulgavit Rosweyodus, die IV Maii hæc de eo leguntur: *Memoria beatissimi Justi Viennensis episcopi*: et quasi hæc lectio sine expressione martyrii non esset satis genuina, eam Rosweyodus asterisco signavit. *Justus* eadem die recensetur in Bedæ Martyrologio, et etiam apud Usuardum, editionum Lubecensis et Coloniensis A. D. 1475, 1490, et in codice Bruxellensi apud Sollerium (15). Rursus in duobus aliis Martyrologiis mss. Ecclesiæ Viennensis, in Calendario antiqui Missalis in Floriano ms. Sanctorum tomo II Maii Bollandiani, et in catalogo ibidem exscripto, in quo passus traditur sub M. Aurelio. Rectius profecto ejus sedes inter Antoninum et Marcum arctatur: ut proinde illi tribuendi non sint tot anni, ac vulgo tribuuntur.

« Ex his quæ dicta sunt, existimo, epistolæ sancti Pii sinceritatem, iis quæ de *Veri* et *Justo* in ea memorantur, infirmari nequaquam posse. *Attalus* autem et litteras martyrum et nuntium de *Veri* triumpho ad Pium tulisse dicitur in hac ejusdem epistola; quia moris fuit, cum episcopus ad episcopum scriberet, alicui tantum Ecclesiæ ministro litteras credere. Ad Baronium ad diem III Februarii. Neque is *Attalus* a celebri Pergameno diversus putandus est; cujus postea et cæterorum agonem egregie toleratum, epistola ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis ad Asianos scripta testatur apud Eusebium (16). Tunc Viennam episcopum proprium, et quidem *Justum* de quo loquimur, habuisse concludit Henricus Valesius in notis ad eandem epistolam: dum enim *ex utraque ecclesia præstantissimi quique detenti* dicuntur, manifesto apparet Viennam perinde ac Lugdunum, suum tunc episcopum habuisse, nempe A. D. 177, qui fuit XVII imperii Marci; quippe *Ecclesia* ab antiquis scriptoribus non dicitur nisi *matrix*, quam *cathedralem* vocamus. Valesio astipulatur Rumarthus (17). Recte ergo sanctus Pius *Justum* recens electum sic alloquitur: *Tu vero apud Sematoriam urbem Viennensem ejus loco (id est Veri) a fratribus constitutus et colobio episcoporum vestitus, vide ut ministerium quod accepisti, in Domino impleas*. Hæc de re historica, in Pii litteris comprehensa.

D VI. « Sed Blondellus et Tillemontius *colobium* istud *Justo* detrahere conantur, ceu vestimenti genus episcopo minime proprium. An jure id agant, jam a nobis quærendum est. Veteres tam Romani quam Græci duplicem *tunicam* exteriorem habuerunt: aliam manicatam et longam, quam *chiriodotum*; aliam nec manicatam nec longam, quam *colobium* Græce, unicam Latine dixerunt. Consulantur de hoc *Justus Lipsius* (18) et *Octavius Ferrarius* (19). *Tertullianus tunicam* ejusmodi sive

(1) *Morin.* lib. I. Exercit. XVII.

(2) *Baron.* ad ann. 166, § VII.

(3) *Ado.* Chron. ætat. V, pagg. 124, 127.

(4) *Id.* ibid, ætat. VI, pag. 189.

(5) *Coint.* Annal. Eccl. Francor. tom. II pag. 576.

(6) *Bolland.* Act. SS. Junii tom. VII, pag. 441.

(7) *Labbe.* Concil. tom. I, pag. 1429.

(8) *Ado.* Chron. A. D. 306, pag. 144.

(9) *Baron.* ad ann. 314, § 49.

(10) *Chifflet.* Not. ad Fulgent. Ferrand., pag. 269.

(11) *Bolland.* Act. SS. Jan. tom. I, pag. 822.

(12) *Ado.* Chron. ad ann. 120, pag. 125.

(13) *Id.* ibid. ad ann. 141, pag. 126.

(14) *Id.* ibid. ad ann. 163, pag. 127.

(15) *Bolland.* Act. SS. Jun. tom. VII, pag. 253.

(16) *Euseb.* Hist. eccl. lib. V, cap. 1.

(17) *Ruinart.* Act. martyr. pag. 63, edit. II.

(18) *Lips.* Antiq. lection. lib. IV, cap. 8.

(19) *Ferrar.* de re Vestiar. lib. III, cap. 8.

*colobium*, vestem tam gentilibus quam Christianis alias communem sic graphice delineavit (1): *Necque trans crura prodige, nec intra genua inverecunde, nec brachiis parce, nec manibus arcte*. Sed erat etiam aliud *colobium* a vulgari et communi diversum, quo uni episcopi in sacris utebantur, propterea dictum a Pio *colobium episcoporum*. De eo sit mentio in Actis Petri Alexandrini sub Maximino passi, quæ in suum Martyrologium transtulit Ado vii Kal. Decembris: ibi enim vir sanctissimus Christum sibi apparuisse memorans: *Erat autem, inquit, indutus COLOBIO LINEO CANDIDO, nimis conscisso a summo usque deorsum, et ambabus manibus conjungebat illud circa pectus suum, quodammodo cooperiens nuditatem suam: quem ut vidi, timore nimio correptus, tandem confortatus aio ad eum: Quid est, Domine, quod video TUNICAM tuam scissam a summo usque deorsum?* Eadem prostant in vulgato Martyrologio Bedæ, et in meo codice ms. Usuardi. Sic Petrus unum idemque vestimentum et *colobium* et *tunicam* vocal. His respondent Acta Græca edita a Francisco Combefisio, ubi legitur (2) *Κολόβιον* et *Χιτώνα*: quod postremum Anastasius Bibliothecarius interpretis, apud Baronium (3) generalim vertit *indumentum*, cum potius *tunicam* vertere debuisset.

\* Auctor *De divinis officiis* cap. xxxix (4), et Honorius Augustodunensis (5), *colobium* a B. Silvestro in *dalmaticam* versum affirmant: eamque ab eodem pontifice initium sumpsisse tradit etiam Walafridus (6); quorum dictis acquievit cardinalis Bona (7). Contra Anselmus Lucensis (8), Eusebio in testem abducto, Liberium *dalmaticæ colobii* Sylvestrum, auctores facit. Sed Anselmus dubio procul sua hausit ex Actis apocryphis S. Sylvestri; quæ ideo tribuit Eusebio, quod initio Prologi occurrant hæc verbo: *Historiographus noster Eusebius Cesarensis, cum Historiam ecclesiasticam scriberet, prætermisit ea quæ se in aliis opusculis meminisset scripsisse*. Hæc Acta Latina, sexcentis ab hinc annis exscripta, quæ mecum olim communicavit doctissimus æque ac piissimus cardinalis Thomasius, *colobii* institutionem tribuunt Sylvestro, occasione, qua Euphrosynus episcopus ex Oriente Romanam profectus, *accedens ad sacrificandum Christi mysteria, CANDIDISSIMO COLOBIO utebatur: quod COLOBIUM sancti Jacobi fuisse perhibebat. Dicebat autem justam esse reverentiam, ut dum divinis mysteriis sacerdos assistit, his utatur vestibus quæ habitum apostolorum in sacerdotibus exhibent*. Inde statim hæc subjunguntur: *Sicque factum est, ut a sancto Sylvestro et presbyteris ejus COLOBIORUM usus sumpsisset initium; quo Marcus et Julius et Liberius eo ordine usi sunt. Post hos autem COLOBIA in dalmaticas commutata sunt*. Hæc eadem occurrunt in Actis Sylvestri Græce editis a Combefisio (9).

« Verum quæ de *colobii* hic narrantur, omnino falsa esse colligimus ex genuinis Cypriani episcopi et martyris Actis proconsularibus, in quibus cum ille duceretur ad supplicium, *colobium* seu *tunicam* dimisisse memoratur: *et cum se TUNICA exspoliasset, et diaconibus tradidisset, in linea stetit et cepit spiculatorem sustinere*. Ita habent antiqui codices mss., teste Baronio (10), Ruinartio (11) et Joanne Fello

A ad opera Cypriani: unde prorsus contemnenda est vulgata lectio, quæ loco *tunicæ* habet *dalmaticam*. Hanc lectionem librariorum audaciæ tribuit idem Fellus: cum enim officiosi homines *tunicam* dignitati episcopali responderi non crederent, *dalmaticam* substituerunt. In Adonem Rosweydi xviii Kalendas Octobris *dalmaticam* manifesto irrepsisse comperimus. Ibi de Cypriano sic legitur: *Dalmaticam TUNICAM tulit, et diaconibus tradidit, stans in linea*. Vox *dalmaticam* inepte redundat. Papias et vulgatus Alcuinus *colobia* ideo in *dalmaticas* versa scribunt, quia *nuditas brachiorum culpabatur*. Sed hoc ingenium magis quam fidem historicam sapit. *Colobium* fuit *tunica* exterior: interior autem *subucula*, ut patet ex Actis S. Cypriani, qui deposito *colobio*, sive *tunica* exteriori, in interiori nempe in *linea* stetit dicitur. Quare licet *colobia* manicis ultra cubitum protensis carerent, non ideo tamen *nuditas brachiorum* culpam poterat, quæ ab interiori *tunica* tegebatur. Non ergo in Ecclesia Latina *colobii* auctor fuit S. Sylvester, aut eo recentior pontifex: sed Apostoli in suos successores episcopos hujus vestimenti morem et formam transmiserunt.

« *Colobio* pallium superinjiciebatur: tantum abest ut *colobium* ipsum fuerit *pallium*; quo tamen nomine perperam appellatur in Martyrologio Viennensi superius adducto. Hinc Christum Dominum et *tunicam* indutui, et *pallium* amictui habuisse, colligimus ex Joanne (12). Abdias fabulosus (13) de sancto Bartholomæo loquens: *Vestitus, inquit, COLOBIO ALBO, clavato purpura, induitur pallio albo, habente per singulos angulos singulas gemmas*. Vide Philippum Bonarotium (14). Eundem morem nos docent Acta Sylvestri apud Combefisium. Et sane in Occidente diu post Sylvestrum ipsumque Liberium, sexto etiam sæculo, episcopos *colobio* usos, duo luculenta testimonia confirmant. Unum est antiqui auctoris, qui descripsit miracula sancti Gibriani presbyteri, æqualis sancti Remigii Remensis episcopi, cujus hæc verba (15): *Visum est in somnio cuidam ex nostris, sanctum Remigium de loco ubi jacet post altare COLOBIO ALBO indutum prodire*. Alterum est Gregorii Turonensis, qui hæc narrat (16) de sancto Nicetio Lugdunensi antistite, cum quo adhuc puer versatus fuerat: *Oram vestimenti sui articulis arripiens, ita se COLOBIO concludebat, ut nunquam artus mei beata ejus membra contingerent*.

« Quotquot autem auctores huc usque laudavi, *colobium* una voce *candidum* aut *album* dixerunt. Hoc ipsum confirmat Hieronymus, sacras hujusmodi vestes criminantem (17): *Quæ sunt rogo, ait, inimicitie contra Deum, si TUNICAM habuero mundiorum: si episcopus, presbyter et diaconus, et reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum CANDIDA veste processerint?* Ex his apparet sacrum *colobium* semper *album* fuisse: quod de *colobio* communi et vulgari non legimus, deque *dalmatica* multo minus; quam post alia indumenta sacerdotalia inventam memorat Bruno Astensis (18): ejusque usum a summis pontificibus non nisi privilegio concessum sexto sæculo, docet Magnus Gregorius (19). Imo Hieronymus vestem *candidam* communiter induere, crimini vertit (20). Quare lapsus est Walafridus, sic scribens (21): *Primis tem-*

(1) Tertull. de Pall. cap. 1.

(2) Combef. Illustr. triumph. pag. 197.

(3) Baron. ad ann. 380, § 5.

(4) Inter opp. Alcuini, 1091.

(5) Honor. Aug. Gemm. anim. lib. 1, cap. 211.

(6) Walaf. De reb. eccl. cap. 24.

(7) Bon. Rer. liturg. lib. 1, cap. 24, § 18.

(8) Ansel. Luc. in lib. ms. Decret. apud Ciacon. in not. ad Cassian. pag. 68, edit. n. Vatic. ann. 1588.

(9) Combef. Illustr. martyr. triumph., pag. 265.

(10) Baron. Notat in Martyrol. die xxxi Maii.

(11) Ruinart. Act. Mariyr. pag. 218, § 15.

(12) Joann. xix, 23.

(13) Abdias, Hist. Apostol. lib. viii.

(14) Bonar. Comment. ad sacr. Vit. pag. 37.

(15) Bolland. Act. SS. Maii, tom. vii, pag. 624, § 14.

(16) Greg. Turon. Vit. Patr. cap. 8, § 2.

(17) Hieron. lib. 1, contr. Pelag.

(18) Brun. Ast. lib. de Sacram. bibl. PP. tom. XX, p. 1622, col. lxxv.

(19) Greg. M. lib. vii, Epist. 112.

(20) Hieron. epist. ad Nepotian.

(21) Walaf. De reb. eccl. cap. 24.

poribus, communi indumento vestiti, Missas agebant.

« Hæc a nobis fuse explicata pro colobio sacerdotali in epistola sancti Pii contra insignium criticorum animadversiones, evincunt eos copios a primis usque temporibus colobium sibi unis proprium et a communi diversum habuisse; cui nihil fuit cum monachorum Orientalium colobio sive lebitonario, ut appellatur in Vita sancti Pachomii cap. xiv apud Isidorum (1), et apud Cangium in Glossario Græco. Hoc instar sacci linei fuisse tradit Rufinus (2). Episcopali colobio superiorem tunicam successisse puto, quam induunt episcopi subter casulam, ut est apud Amalarium (3), Rupertum (4) aliosque.

« Denique Pius noster epistolam II claudit. Justum hortando, ut inter persecutionum procellas forti animo religionem Christianam palam confiteatur: *Unum, ait, te rogo: in communione sta, et me ne obliviscaris.* Hæc displicent Tillemontio ægre ferenti, Pium sine causa dubitare de fide et constantia sancti Justi. Sed hæc censura tanto viro indigna est: quot enim orationes paræneticæ occurrunt, sanctissimis viris inscriptæ, ne flagellis et ærumnis a fidei confessione averterentur? Eiusmodi vero temporibus Justum vixisse, huc usque probatum est, et ex ipsa epistola id satis clare cognoscitur.

VII. « Hactenus pro utriusque Epistolæ sancti Pii veritate pugnavimus. Nunc superest ut interpretationes illorum excutiamus, qui easdem pro genuinis a se receptas, in Calvinianæ sectæ commodum trahere conantur, novitatem quærentes in visceribus vetustatis. David Blondellus, qui pridem ut vidimus imposturæ suspectas esse pronuntiaverat, sagaciter postmodum ad hæc sententia recedens, utramque probavit tum in opere *De Primatu* (5), tum in alio *De Sybillis* (6). Hæc Tillemontiam fugerunt. Blondello enim contrariam sententiam affingit, perinde ac Pii Epistolas cum iudicio Baronii, in suo eodem libro de Primatu recitatas, explosisset: qua in re vir oruditus, ut multa scribentibus sæpe contigit, memoria lapsus est, volumen de Primatu cum *Pseudo-Isidoro* confundens. Idem Blondellus suam hæresim antiquissimis testibus, si Deo placet, roboraturus, Pii epistolis tanquam veris alibi quoque abutitur (7). Presbyterorum enim et primæ sedis prærogativam, in alios jure electionis et suffragiorum sub pontifice Pio transferri cæpisse nobis obtrudit: inde factum ratus ut ad Justum, episcopum constitutum et Roma Viennam paulo ante profectum, idem Pius hæc scriberet: *Presbyteri et diaconi te observent.* Ne quis autem presbyteros episcopali gradu dejectos putaret, ob unum quem communia Ecclesiæ suffragia illis præposuisset Blondellus comminiscitur, a Pio more majorum apostolicos viros, quotquot antea Dominicum gregem paverant, generali presbyterorum nomine nuncupatos his verbis: *Presbyteri illi qui ab apostolis educati usque ad nos pervenerunt, cum quibus simul verbum Dei partitum sumus, a Domino vocati, in cubilibus æternis clausi tenentur.* Ita quidem Blondellus.

« Quia vero novatorum studia semper in unam metam collineare noscuntur, hæc commenta a vide arripuerunt Calvinianæ scholæ prima capita Joannes Dalæus (8), et Walo Messalinus, seu Claudius

A Salmasius (9). Sed longe falluntur illi. Tantum enim abest ut eorum causæ ulla in re suffragetur Pius; ut maxime etiam penitus eampem evertat. Hoc paucis et nullo negotio demonstro. Pius monet Justum, dum ei gratulatur episcopatum, de munere diligenter implendo, ut cæteris inferioris gradus se præbeat exemplum: *Carceres sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide. Martyria sancta Spiritu sancto proba. Ut perseverent in fide, eis incitator existe. Presbyteri et diaconi non ut majorem, sed ut ministrum Christi te observent. Plebs universa tua sanctitate protegatur.* Itaque Pius jubet, episcopum ita se exercere in operibus Christianæ pietatis, ut quantum, ipsa episcopalis gradus prærogativa, suorum caput existat, modestia tamen, inferioris ordinis viros æquare studeat, ex more scilicet doctrinæ apostolicæ sancti Pauli ad Timotheum. Apposite ergo Henricus Hammondus Blondellianæ argumentationis levitatem irridens, Justum episcopali caractere supra presbyteros efferri considerat (10), ut eum ipsi observare jubeantur; quæque a Pio de presbyterorum, eadem etiam de diaconorum observantia dici: adeo ut non solum presbyteros episcopis, sed diaconos etiam presbyteris et episcopis æquatos, ex Pii verbis concludi possit, ubi fatua illa Calviniana expositio admittatur. De utriusque enim loquitur Pius: *PRESBYTERI et DIACONI non ut MAJOREM, sed ut MINISTRUM Christi te OBSERVENT.* Quibus verbis Pius respexit ad illud Domini (11): *Qui major est vestrum erit minister vester.* Et iterum (12): *Qui major est in vobis, fiat sicut minor: et qui præcessor est, sicut ministrator.* Ubi dici videtur præcessor, qui in Ecclesia sublimiorem consecutus est gradum: ut apostoli erant consecuti, et post eos episcopi, inquit Hugo Grotius. Nemo autem ad Christi exemplum vitam suam efformasse censendus est, qui non observantiam omnem sibi ut ministro Christi, non certe ut majori, præstari velit. Iluc facit quod Wibertus scribit (13) de sancto pontifice Leone IX: *Illud beati papæ Gregorii dictum præ oculis mentis videtur habere: Primus esse non audeat, qui subesse non didicerit.*

« Cætera examinare pergamus. Presbyteros ab apostolis educatos de quorum dormitione loquitur Pius, Calviniani episcopos fuisse garriunt. Vellem equidem addidissent, unde hoc colligerent: nam Pius secundi ordinis sacros ministros, non certe collegas, aut episcopos, sed presbyteros vocat: *Salutant te Soter et Eleutherus digni PRESBYTERI.* Sed Verum, episcopum Viennensem allectum, collegam suum non sane presbyterum appellat: Justumque ejusdem Veri loco a fratribus constitutum et colobio episcoporum vestitum agnoscit; electione scilicet, non ordine antiquitatis. Quare presbyteri ab apostolis educati qui diem suum obierant, non sunt Ecclesiarum rectores qui in varias mundi regiones profecti, Dominicum gregem episcopi paverunt, ut Blondellus et Salmasius comminiscuntur; sed sunt pauci illi presbyteri tunc superstites, quos Romæ et non alibi de facie noverat Justus, ut cum quibus sibi subjectis verbum fidei, se veluti summum episcopum partitum fuisse testatur Pius; qui cum de clero sui temporis loqueretur, distinctionem ordinum et nominum accurate observavit, secus ac sectarii nugantur: quod adnotavit etiam Pearsonius (14), licet aureas hasce

(1) Isidor. Origin. lib. XIX, cap. 22.

(2) Rufin. de Vit. Patr. lib. II, cap. 3.

(3) Amal. de eccl. Offic. cap. 22.

(4) Rupert. lib. I, cap. 23.

(5) Blondell. de Primat. pag. 713.

(6) Id. de Sibyll. lib. II, capp. 6, 7, 9, pagg. 60, 62, 69.

(7) Id. Apolog. sect. 2, § IV, pag. 18.

(8) Dalæus, De script. Dionys. lib. II, cap. 26, p. 397.

(9) Salmas. De episc. et presbyt. cap. 4, pag. 275 et in appar. de Primat. Pap., pag. 60.

(10) Hammond. Diesertat. V, pro jurib. episcopat. c. X, § 5, pag. 286.

(11) Matth. XXIII, 11.

(12) Luc. XXII, 20.

(13) Wibert. Vit. S. Leon. IX, lib. I, cap. 6.

(14) Pearson. Vindic. Ignat. part. II, cap. 13, pag. 170.

Epistolas parvi fecerit, perperam sane, ut satis probatum. Salmasium Pii epistolis abutentem alia via refellit Petavius (1).

VIII « Ex his patet Guillelmum Cave in Pearsonii et Dodwelli sententiam temere ivisse, his de suo præterea superadditis contra easdem epistolas (2) : *Communi fere doctorum consensu, tanquam spurias rejici ; nec ipsum Bellarminum qui ex iis testimonium citat (3), veluti indubitæ fidei, defendere audere.* Somnial Caveus : nam Bellarminus de litteris ad Justum Viennensem l. c. non loquitur, sed de epistola decretali Piumniente, *omnibus Ecclesiis inscripta : quas quidem epistolas decretales, non expectato heterodoxorum judicio, inter spurias merces a nobis ultro rejici, ingenue fatetur Cardinalis Bona (4) ex ore Cardinalis Historici (3), quibus addatur Bellarminus l. c., tantosque triumviros nominasse, gratiam inire sit ab hostibus, qui crambem toties recoctam, nempe earundem epistolarum falsitatem, identidem nobis objiciunt. Non moror Caveum, ubi Pii epistolarum fidem se imminuere arbitratur, propterea quod a veteribus memoratæ non fuerint : quot enim antiquissima monumenta superiores sæculo emergerunt, quorum tamen nulla exstabat memoria ? Neque sane opus fuit, binas epistolas, easque brevissimas, in Scriptorum catalogos conjici, alias non passim vulgatas, cum Ecclesiam universalem nequaquam respicerent. Sanctus Pontifex Leo Magnus quot epistolas scripsit ? Et tamen Gennadius, cæteris prætermissis, unam ad Flavianum contra Eutychem memorat (6). Idem auctor celebrem epistolam sancti Eucherii ad Hilarium Arelatensem *de Laude eremi* omnino reticuit (7). Reticuit etiam ejusdem Hilarii *expositionem Symboli* (8), ab Honorato Massiliensi in ejus Vita laudatam ; nullamque omnino mentionem fecit *Eusebii, Silvii et Domnoli*, illustrium Gallicanæ Ecclesiæ doctorum qui *scriptis meritissime claruerunt*, teste eodem Honorato in Vita Hilarii.*

« Post Caveum dormitavit etiam Tillemontius, ratus a Natali Alexandro (9) et a Joanne Baplista Cotelerio (10) epistolas Pii ad Justum Viennensem reprobari : neuter enim loquitur de alia epistola, quam de illa, omnium criticorum calculis commentitia, quæ *omnibus Ecclesiis* directæ est. Haud ab simili errore captus est Pagius, a Labbeo non magis utramque probari scribens (11), quam duas decretales doctorum omnium consensu improbatas. Sed tantum abest hoc Labbeo in mentem venisse, ut e contrario nostras pro sinceris et genuinis receperit. Etiam Claudius Castellanus, *a nemine*, ait (12), *in dubium vocari quin epistolæ Pii ad Justum Viennensem sint supposititæ.* Hæc toties dicta ferri non possunt. Nunquid pro *nemine* habendi sunt tot viri doctissimi, qui easdem undequaque probarunt ? Georgius Fabricius in epistola a Joan-

nem Haubilium, *thesauri et bibliothecis vetustissimis eruti* loco eas habuit. Joannes Jacobus Grynæus in præfatione ad Monumenta sanctorum Patrum orthodoxographa : Pii, inquit, *Romani episcopi duæ epistolæ ob oculos ponunt velut in tabula, illustria exempla vigilantis episcopi, liberalitatis erga Ecclesiam et constantis in martyrio.* Et paulo post : *Spiciant autem ipsius epistolæ singularem quamdam erga Symmistas charitatem et curam de Ecclesia.* Margarinus Bigneus, Cæsar Baronius, Joannes a Bosco, Severinus Binius, Petrus Pithæus, Joannes Savaro (13) et Papius Massonus (14), illas velut inceras uno ore laudarunt. Henricus Spondanus (15) *plane aureas* (post Baronium) appellat. Josephus Vicecomes (16), Philippus Labbeus (17), Joannes Bona, Franciscus Maria Florentinus (18), Dominicus et Carolus Macri in Hierolexico, Carolus Cangius in Glossario Latino et Godefridus Henschenius die iv Maii, earundem, utpote a sancto Pio scriptarum, sacram auctoritatem plurimi palam fecerunt : ne iterum memorem recentiores heterodoxos, Dallæum, Blondellum, Salmasium et Hammodum ; quorum hic utramque a se receptam contra presbyteriani dogmatis pravæ interpretationes, catholice tuetur ; cæteri vero utraque, itidem a se recepta tanquam omni suspitione carente, ad suas impias sententias confirmandas de more abutuntur.

\* Profecto nihil non vetustissimum et vere apostolicum in illis elucet. Ut unum adhuc alterumve insigniorem venerandæ antiquitatis characterem indicemus : *collegæ, fratres, plebs*, et reliqua Christiana et ecclesiastica nomina, passim occurrunt in genuinis Epistolis Ignatii et Cypriani ; eadem etiam aliquando structura verborum, ac in epistolis sancti Pii. Quod vero Pius jubet *de curandis martyrum corporibus*, omnino consonat epistolæ viii, al. iii, sancti Cypriani, illicque quam Ecclesia Smyrnensis scripsit de martyrio sancti Polycarpi. Quod demum significat Pius, revelatum sibi fuisse, citius se diem obiturum, simile est exemplo Polycarpi, de quo scribit Ecclesia Smyrnensis (19) : *Signum, ante triduum quam comprehenderetur, revelationis accepit.* Sic etiam Cyprianus revelationes sibi a Domino ostensas amicis patefecit (20). Hæc fusius persequi oportuit, ut omnes suspitionum nebulas ab integerrimis epistolis amoliremur.

Hactenus vir eruditissimus : qui et alibi (21) habet complura de *Hermete S. Pii* fratre, cui cognomen *Pastor* ; eaque simul illustrat quæ de eodem *Pastore* in secunda epistola ad Justum episcopum Viennensem scribit sanctus pontifex : ubi et virorum illustrium de *Hermete* atque *Herma* eorumque libris disserentium lapsus detegit. Id autem admonuisse propterea oportuit, ne lectorem ea removeretur, quæ ad illum laudatæ epistolæ secundæ locum placuit cl. Coutantio adnotasse (22).

(1) *Petav.* de Eccl. Hier., lib. i, cap. 12, §§ 21 et 22.

(2) *Cav.* Hist. litter. ad ann. 158.

(3) *Bellarmin.* De Rom. pontif. lib. ii, cap. 14.

(4) *Bona.* De reb. liturg. lib. i, cap. 3, § 1.

(5) *Baron.* ad ann. 865, § 4.

(6) *Gennad.* Catal., cap. 70.

(7) *Id.* ibid., cap. 63.

(8) *Id.* ibid., cap. 69.

(9) *Nat. Alex.* Hist. eccl. sæc. I, cap. x, art. 7.

(10) *Cotel.* ad PP. Apost., pag. 42, edit. i.

(11) *Pagi Crit.* ad ann. 165, § 4.

(12) *Castell.* not. ad d. xii Jan.

(13) *Savar.* ad Sidon, lib. iv, epist. 3, et lib. ix, epist. 3.

(14) *Masson.* De Episc. Urb. lib. i, pag. 11.

(15) *Spondan.* ad ann. 112, § 4.

(16) *Vicecom.* de Miss. ritib., lib. i, cap. 8, et de Miss. appar. lib. iii, cap. 24.

(17) *Labbe.* Conc. tom. i, pag. 576.

(18) *Florent.* ad Martyr. vet., pag. 715.

(19) *Eccl. Smyrn.* Epist. de martyr. S. Polycarpi, cap. 5.

(20) *Cypr.* Epist. 11 et 16, al. 8 et 10 et lib. de Mortal.

(21) *Fontan.* Hist. litt. Aquil., lib. ii, capp. 1 et 2, pagg. 63, 67 seqq.

(22) *Coutant.* Append. ad Epist. Rom. Pontif., pag. 19.

# PII I PAPÆ EPISTOLÆ

(Ap. MANSI *Concil. ampl. collect.*, I, 671.)

## EPISTOLA PRIMA (23-27).

AD UNIVERSOS CHRISTI FIDELES.

*Ut die Dominico Pascha celebretur: quod prædium Ecclesiæ subtrahens ut sacrilegus judicetur, et si quis ex ministris episcopo inobediens fuerit, aut contumeliam aut insidias aut calumniam paraverit, curiæ tradatur.*

Omnibus Ecclesiis, in eadem qua sumus fide et doctrina manentibus, Pius apostolicæ sedis archiepiscopus.

Gratias agimus, fratres, Deo, quoniam crescit « fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque omnium vestrum in invicem, ita ut nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei <sup>84</sup>. » Videte, fratres, videte, ut « nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum (28) quæ non vidit (29), ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei <sup>85</sup>. Sed induite vos sicut electi Dei, sanctæ et dilecti, viscera misericordiæ,

<sup>84</sup> II Thes. I, 3, 4. <sup>85</sup> Coloss. II, 18, 19. <sup>86</sup> Coloss. III, 12, 13. <sup>87</sup> *De consecr. distinct.* 3: *Nosse vos volumus.* <sup>87</sup>, Vide nostram diss. *De script. Eccles.* tom. I.

(23)-27) Nullius fidei apud eruditos.

(28) *Nemo vos seducat in religione angelorum.* Verba sunt apostoli Pauli ad Coloss. capite II scripta, non quod sensit Hieronymus epistola 251, quæst. 10, adversus Judæos cœlicolas, stellas cœli, angelos esse credentes, neque etiam adversus Simoniacos, ut sentit Bellarminus; sed potius contra Cerinthi perniciosissimum dogma hoc, quo adeo humiliter de Christo sentiebat, ut omnem ab eo divinitatem auferret, nudum hominem fuisse doceret, angelos omnes qui mundi opifices fuerant super eum extolleret. Ita Cerinthum sensisse non tantum ex Irenæo et Epiphano, sed etiam Tertulliano *De præscript.*, cap. 28, constat. Cum igitur Cerinthus Christum deprimeret, et angelos exaltaret, merito Paulus epistola ad Colossenses, et Pius pontifex omnes alias Ecclesias hac epistola admonet dicentes: *Nemo vos seducat in humilitate* (Christi scilicet, cum ob scandalum crucis illum nimis humilians, hominem tantum fuisse prædicaret) *et religione angelorum.* Naturæ enim ac mundi corporei opifices eos fuisse jactantes, religiose nimis deprædicabant. Theodoretus expositio hujus loci et censura canonis 35 concilii Laodiceni, præterquam quod periculosa sit, vera non est. Cerinthus enim angelos mundi opifices non modo non docebat esse colendos et adorandos, sed potius, tanquam malorum auctores, odio habendos esse. Vide Baronium anno Domini 60, n. 15 et sequentibus usque ad 20. Item notas nostras in canon. 35, concil. Laod. Cur Pius pontifex omnes Ecclesias hoc loco sicut Paulus Colossenses admonuerit, causa est, quod Cerinthus ejusque sectarii hoc tempore eadem perverse do-

**A** benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. Et sicut Christus donavit vobis, ita et vos. »

I.

*Ut die Dominico Pascha celebretur.*

<sup>87</sup> Cæterum nosse vos volumus, quod Pascha Domini die Dominica annuis solemnitatibus sit celebrandum (30). Istis ergo temporibus <sup>88</sup> Hermes doctor fidei (31) et Scripturarum effulsit inter nos. Et licet nos idem Pascha prædicta die celebremus, quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ angelus Domini in habitu pastoris apparuit, et præcepit ei, ut Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur. Unde et vos apostolica auctoritate instruimus, omnes eadem servare debere, quia et nos eadem servamus, nec debetis a capite quoquo modo dissidere. Cavete diligenter omnes « ne quis vos decipiat per

centes, multos a fide averterint, ut patet ex epistola Pii pontificis ad Justum Viennensem scripta, quam nunc primum hic tertio loco et ordine subjicimus. Sev. BIN.

(29) *Quæ non vidit.* Videntur Paulus et Pius alludere ad id quod de eodem Cerintho Theodoretus lib. II, cap. 4, *Hæretic. fab.*, scripsit, dicens: « Confinxit autem etiam quasdam revelationes, tanquam ipse eas esset contemplatus. » Ad captandam enim audientium fidem, illis utebatur, multa se divinitus vidisse mentiens, quæ, ut inquit Paulus et Pius, non vidit. Baronius anno Christi 60, num. 18. Id.

(30) *Pascha Domini die Dominica annuis solemnitatibus sit celebrandum.* Ex verbis sequentibus: « Et licet nos idem Pascha prædicta die celebremus, quia tamen quidam inde dubitarunt, » etc., satis aperte constat, constitutionis illius (qua præcipitur, ut Christiani die Dominico tantum, post vernale æquinocetium occurrente, Pascha celebrent, ne scilicet Christianorum et Judæorum Paschalia festa unquam simul incidere possint) auctorem primum hunc pontificem Pium non fuisse, sed potius ab apostolis, quod prolixè satis supra ad canonem apostolorum 8 notavimus, institutum esse; Pium vero pontificem hanc traditionem apostolicam judaizantium Ecclesiarum consuetudine violatam, edito scripto, et renovato duntaxat decreto firmasse et stabilivisse. Vide Baron. anno Christi 159, num. 1 et seqq. Item ea quæ diximus supra ad canon. apostolorum 8 Id.

(31) *Istis ergo temporibus Hermes doctor fidei.* Quis et qualis fuerit Hermes, patet ex iis quæ diximus supra. in noctis ad Vitam Pii. Id.

aliquam astrologiam vel philosophiam (32) et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum » et traditionem rectam ; « in Christo enim habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut sitis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis <sup>80</sup>, » qui et hanc sanctam sedem apostolicam omnium Ecclesiarum caput esse præcepit, ipso dicente principi apostolorum : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam ; et tibi dabo claves regni cælorum ; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælo ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælo <sup>81</sup>. » Sine dubio qui contra mandata Dei agit, peccat, et qui consensum præstat erranti. <sup>82</sup> Quid enim prodest illi, suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti <sup>83</sup> ?

## II.

*A quibus non oporteat episcopos accusari, et de his qui transgrediuntur jussa apostolicæ sedis.*

<sup>84</sup> Oves enim pastorem suum non reprehendant, plebs vero episcopum non accuset, nec vulgus eum arguat, quoniam « non est discipulus super magistrum, neque servus supra dominum <sup>85</sup>. » Episcopi autem a Deo sunt judicandi, qui eos sibi oculos elegit. Nam a subditis aut pravæ vitæ hominibus non sunt arguendi, vel accusandi, aut lacerandi, ipso Domino exemplum dante, quando per seipsum ejecit de templo, et mensas nummulariorum proprio evertit <sup>86</sup> flagello, et ejecit de templo <sup>87</sup>. Et sicut alibi per Prophetam loquitur, dicens : « Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos discernit <sup>88</sup>. » <sup>89</sup> Si quis vero a suo proposito retrorsum exorbitaverit, et jussu apostolicæ sedis libenter transgressus fuerit, infamis efficitur. Reprobare ergo oportet eorum redargutiones, qui in recta fide suspecti sunt. <sup>90</sup> Fides autem et conservatio primum scrutanda est denuo, qui irreprehensibiles apparuerint, sunt recipiendi, et non prius ; quia « bonus homo, testante Veritatis voce, ex bono thesauro cordis sui profert bona, et malus homo ex

<sup>88</sup> Euseb. in Chron. ad an. 143. <sup>89</sup> Colos. II, 8, 9. <sup>90</sup> Matth. XVI, 18, 19. <sup>91</sup> 8, distinct. : Quid enim prodest. <sup>92</sup> Horm ep. 23. <sup>93</sup> 6, q. 1 : Oves pastorem. Et in Decr. Ivon. lib. IV. <sup>94</sup> Matth. X, 24 ; Luc. VI, 50. <sup>95</sup> Isid. III, sent. 39. <sup>96</sup> Joan. II. <sup>97</sup> Psal. LXXXI, 4. <sup>98</sup> 3, q. 5 : Si quis vero a. <sup>99</sup> 1 Hadr. coll. 4, 5, 15. <sup>100</sup> Matth. XII, 36 ; Luc. VI, 45. <sup>101</sup> Cæsar. hom. 23. <sup>102</sup> De pœnit distinct. 3 : Nihil prodest ; et De consecr. distinct. 5 : Nihil enim prodest. <sup>103</sup> Psal. XXXIII, 14, 15. <sup>104</sup> Sixti phil. sent. 168 et 169. <sup>105</sup> 6, q. 1 : Oves pastorem. <sup>106</sup> I Cor. XIII, 5. <sup>107</sup> I Cor. XIV, 1. <sup>108</sup> Cor. XIII, 4, 8. <sup>109</sup> in ms. IX Kal. Aprilis HARD. <sup>110</sup> Consules hi notantur in fastis an. Christi 146. Id. <sup>111</sup> I Cor. III, 9.

(32) *Cavete diligenter, ne quis vos decipiat per aliquam astrologiam aut philosophiam.* Aquilam Ponticum credo, qui sub Adriano imperatore vixit ; ex judicario astrologo Christianus, ex Christiano vicissim astrologus et apostata Judæus, ac demum sacræ Ecclesiæ hostis et inimicus est factus, notandum atque fugiendum admonet ; de quo Epiphanius libro *De mens. et pond.* hæc ait : « Aquila igitur mente compunctus (intellige ob miracula quæ per Christianos fieri videbat), Christianismo credidit, et cum petiisset progressu temporis signaculum in Christo, id ipsum assecutus est. Cum autem a pristino suo habitu non discederet, a credendo videlicet vanæ

A malo thesauro eordis sui profert mala. Ex abundantia enim cordis os loquitur <sup>2</sup>. » Ideo persona et opinio ac vita unusejusque in initio rimanda est, quia boni semper infestantur a malis. Boni enim cum malis, licet misti sint in Ecclesia, vix concordare inveniuntur, quoniam dissimilis est eorum cogitatio, voluntas et actus <sup>3</sup>. Nihil enim prodest homini jejunare, et orare, et alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur, et ab obtreptionibus lingua cohibeatur. Unde ait Propheta : « Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua de loquantur dolum. Diverte a malo, et fac bonum <sup>4</sup>. » Nemo enim bonum faciens, alteri verbo aut facto nocere vult ; quantominus in <sup>5</sup> suspicionem debet venire fidelis homo, ut dicat aut faciat ea quæ pati non vult ?

B <sup>6</sup> Quia omnis suspicio potius repellenda est, quam approbanda vel recipienda. « Charitas enim non quærit quæ sua sunt <sup>7</sup>, » sed quæ aliorum ; quia unius causa, multorum non est præferenda : « Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia <sup>8</sup>. Charitas enim patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati ; omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit <sup>9</sup>. » Semper rogo vos, ut deteriora rejiciatis, et meliora præficiatis ; quia nos non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, et ea sectamini indifferenter.

C Data septimo Idus Aprilis <sup>10</sup>, Claro et Severo viris clarissimis consulibus <sup>11</sup>.

## EPISTOLA II (33).

ITALICIS DIRECTA.

*Quæ divinis sunt assignata usibus, ad humanos usus sine sacrilegio non posse transferri.*

Pius Romanæ urbis archiepiscopus, Italicis fratribus salutem in Domino.

Scitis, fratres, quia « Dei agricultura sumus <sup>12</sup> ; » ideo ejus adjutores esse debemus secundum gratiam, quam ipse dedit nobis. Si autem hoc esse ne-

astrologiæ, quam exacte edoctus erat ; sed quotidie positionem nativitatis suæ spectaret, redargutusque a doctoribus et increpatus ea gratia, se non corrigeret, sed potius contentiose opponeret, et non consistentia confirmaret, fatum videlicet et narrationes de ipso, expulsus est rursus ab Ecclesia, veluti inutilis ad salutem. Ex quo facto amarulentiam, veluti ignominia affectus, mente concepit, et ad emulationem elatus est ; et abnegato Christianismo ; psiusque vita, proselytus fit, et circumciditur Judæus ; atque

(33) Pariter suspecta.

gllexerimus, nulli dabitur, quod damnabimur. Si vero in ejus servitio pro viribus laboravimus, verique ejus adjuutores fuerimus, ejusque voluntatem implere studuerimus, profecto ab illo ditabimur, quia « uniuscujusque opus, quale sit, ut ait Apostolus, dies Domini declarabit et ignis probabit <sup>13</sup>. »

Ad sedem autem apostolicam perlatum est, quod sint inter vos contentiones et æmulationes : et <sup>14</sup> prædia divinis usibus tradita, quidam humanis <sup>15</sup> applicant usibus, et Domino Deo (cui tradita sunt) ea subtrahunt, ut suis usibus inserviant. Quapropter ab omnibus illius <sup>16</sup> usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata (34), a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quisquam præsumpserit, sacrilegus habeatur, et sicut sacrilegus judicetur. Ipsos autem qui hoc agunt, clericos et Domini sacerdotes persequi eosque infamare audivimus, ut malum super malum addant, et deteriores fiant, non intelligentes quod Ecclesia Domini in sacerdotibus consistit, et crescit in templum Dei, <sup>17</sup> Et sicut qui Ecclesiam Dei vastat, et ejus præcia et donaria exspoliatur et invadit, fit sacrilegus : sic et ille qui ejus sacerdotes insequitur, sacrilegii reus existit, et sacrilegus judicatur ; « Æmulamini, fratres, charismata meliora <sup>18</sup>, » et nolite talia agere, nec eis commisceri aut consentire, qui talia agunt ; quoniam non solum, qui talia agunt, sunt hujus criminis rei, sed qui facientibus consentiunt <sup>19</sup>. » <sup>20</sup> Non ergo gravius peccatum est fornicatio, quam sacrilegium ; sed sicut majus est peccatum quod in Deum committitur, quam quod in hominem, sic gravius est sacrilegium agere, quam fornicari. De talibus enim ait Apostolus : « Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et meo spiritu, in virtute Domini

<sup>13</sup> I Cor. III, 13. <sup>14</sup> 12, q. 2 : *Prædia divinis*. <sup>15</sup> Hincmar. *De statu Ecclesiæ*. <sup>16</sup> Cod. Theod. lib. XVI, tit. 2, const. 40. <sup>17</sup> 17, q. 4 : *Sicut qui Ecclesiam*. <sup>18</sup> I Cor. XII, 31. <sup>19</sup> Rom. I, 32. <sup>20</sup> Hincmar. *ibidem*.

atque tunc laborioso studio tradidit seipsum ad discendum Hebræorum linguam, et ipsorum elementa. Ubi vero hanc summe didicisset, interpretatus est, non recta ratione usus, sed quo aliqua ex receptis libris perverteret, irruens in Septuaginta duorum interpretationem, ut testimonia de Christo in Scripturis probata aliter ederet. » Hæc Epiphanius de Aquila prædicto loco. Baron. anno 137, num. 8 et 9. SEV. BIN.

(34) *Ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata*. Hoc loco sacrilegia, quæ sunt furta aut rapinæ rerum Ecclesiæ acquiratarum, prohibentur, et possessio bonorum temporalium eidem conceditur. Nam sicut olim Levitis, quanquam decimis ditarentur, non erat omnino interdicta rerum possessio, quippe qui ex mandato Dei, Num. xxxv, in singulis tribus urbes sacerdotales habebant ad habitandum, ita etiam nec Christianæ legis sacerdotibus eorundem bonorum possessio interdicta probatur. Ecclesias enim Christianorum, possessiones olim sub gentilibus imperatoribus possedissee non tantum Pii papæ

A nostri Jesu Christi, hujusmodi tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quia medicum fermentum totam massam corrumpit ? Expurgate, inquit Apostolus, vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Scripsi vobis in epistola, ait idem ipse Apostolus, ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus ; alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri. Si quis frater nominatus est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare ? Nonne de his, qui intus sunt, vos judicatis ? Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis. Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos ? An nescitis quoniam sancti Dei de mundo judicabunt ? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis ? Nescitis quoniam angelos judicabimus ? quanto magis sæcularia ? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare fratrem suum ? sed frater cum fratre iudicio contendit, et hoc apud infideles ? Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis ? Quare non magis fraudem patimini ? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt ? Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores,

et Urbani I epistolæ ad omnes episcopos scriptæ declarant sed ipsa etiam imperatorum edicta, quibus eas illis ablatas reddi mandaverunt, evidenter demonstrant. In edicto enim Constantini atque Licinii hæc scripta leguntur : « At quoniam ipsi Christiani non solum ea loca in quæ convenire solent, sed etiam alia habuisse cognoscuntur, quæ non privatim ad singulos, sed ad jus lotius ipsorum communitatis, id est Christianorum, spectabant ; singulis qui ea possident, mandes velim, ut omnia per legem, quam supra posuimus, absque ulla controversia Christianis, id est societati ipsorum et conventui reddant. » Porro ea omnia loca, quæ ad Christianos spectare dicit, ecclesiastica fuisse, sequens eorundem edictum ad Anulinum conscriptum declarat, his verbis : « Quare volumus ut simul ac hæc litteras a nobis acceperis, si quæ ex his possessionibus, quæ ad catholicam Christianorum Ecclesiam in quibusque civitatibus aut aliis locis pertinent, » etc. Vide Baron. anni Christi 57, n. 82. SEV. BIN.



neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri <sup>21</sup>. » De cætero, salva in omnibus apostolica auctoritate, quæcunque sunt ad religionis <sup>22</sup> observantiam pertinentia, locis suis, et a suæ diœceseos synodis audiantur. Et si quis sacerdotum vel reliquorum clericorum, suo episcopo inobediens fuerit, aut insidias ei paraverit, aut contumeliam, aut calumniam, et convinci potuerit, mox curiæ tradatur. « Qui autem facit injuriam, recipiat hoc quod inique gessit <sup>23</sup>. Corruptum enim mores bonos colloquia mala <sup>24</sup>. » Evigilate, justi, et nolite peccare.

Data Idibus Martii, Claro et Severo viris clarissimis consulibus <sup>25</sup>.

### EPISTOLA III (36).

DIRECTA JUSTO EPISCOPO VIENNENSI (37).

Antequam Roma exiisses, soror nostra Euprepia, sicut bene recordaris, titulum domus suæ (38) pauperibus assignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes, missas agimus. De te autem, superbeate, postquam ad senatoriam urbem Viennensem perrexisti, quid factum sit, nosse cupimus, et ut sementem Evangelii jam sparseris, audire multum desideramus. Presbyteri illi qui ab apostolis educati usque ad nos pervenerunt, cum quibus simul verbum fidei partiti sumus, a Domino vocati in cubilibus æternis clausi tenentur. Sanctus Timotheus et Marcus (39) per bonum certa-

<sup>21</sup> I Cor. v, 2 usque ad finem. et vi, 1-11. <sup>22</sup> cod. Theod. lib. xvi, tit. 2, c. 23 et 39, 11, quæst. 1 : Si quis sacerdotum. <sup>23</sup> Coloss. iii, 23. <sup>24</sup> I Cor. xv, 3. <sup>25</sup> falsa temporis consignatio. <sup>26</sup> præsentis temporis verbum censent quidam, ego præteriti. <sup>27</sup> an. 160.

(35) *Epistola*. Duas per breves epistolas Pii ad Justum Viennensem episcopum scriptas ex Viennensi archivo proditas, ex tomo primo *Bibliothecæ sanctorum Patrum* Parisiensis editionis, ubi exstant, huc consulto transtulimus. Hasce germanas esse ac legitimas, cum rerum argumentum, et admirabilis quædam cum rebus gestis hujus temporis convenientia, tum simplicissimus ille antiquitatis candor, cuius facile persuadent. Priorem harum duarum Pium anno pontificatus sui penultimo, qui est Christi 166, posteriorem autem anno ultimo scripsisse, ipsæ epistolæ ostendunt. Baron. ann. 166, n. 1 et 4. Sev. Bix.

(36) Hanc et seq. Baronius germanas agnoscit, aliis qq non probantibus.

(37) *Justo episcopo*. Justus Viennensis Ecclesiæ episcopus post longum exilium, sub persecutione Marci Aurelii martyrium subiit. Ita Ado ejusdem Viennensis Ecclesiæ episcopus in *Chron.* testatur. Ib.

(38) *Titulum domus suæ*. Domus divino cultui dicatæ appellantur tituli. Ib.

(39) *Sanctus Timotheus et Marcus*. Hunc Timotheum, cujus exitum nuntiat Pius pontifex. Novati germanum, Pudentianæ atque Praxedis fratrem, Pudentis vero atque Priscillæ filium fuisse (eundemque esse, cujus in antiquis tabulis ecclesiasticis 24 Martii Natalis descriptus habetur, his verbis: « Romæ Natalis SS. martyrum Marci et Timothei, qui sub Antonino imperatore martyrio coronati sunt, ») Baronius sentit anno Christi 166, num. 2.

ma non transierunt. Vide, frater, ut illos imiteris sequendo, neque vinculis mundi illigeris. Festina palmam perseverabilem cum sanctis apostolis tenere, quam per multas passiones Paulus suscepit et Petrus, cui crux charitatem Christi tollere non potuit. Salutant te Soter et Eleutherius digni presbyteri. Saluta fratres qui tecum vivunt in Domino. Cerinthus primarches Satanæ multos avertit <sup>26</sup> a fide (40). Gratia Christi habitet in corde tuo.

### EPISTOLA IV (41).

DIRECTA EIDEM JUSTO VIENNENSI EPISCOPO.

Attalus (42) epistolas martyrum portans ad nos venit, gaudium nobis inæstimabile faciens de triumpho eorum: qui dixit nobis sanctum Verum (43) collegam nostrum victorem de mundi principe triumphasse; tu vero apud senatoriam urbem Viennensem ejus loco a fratribus constitutus et colobio episcoporum vestitus, vide ut ministerium quod accepisti, in Domino impleas; cura autem sanctorum martyrum corpora sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt apostoli Stephanum. Carceres sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide. Martyria sancta Spiritu sancto proba; ut perseverent in fide, eis incitator insiste. Presbyteri et diaconi non ut majorem, sed ut ministrum Christi te observent; plebs universa sanctitate tua protegatur. Fratres nostri, quos per Attalum recognosces, de tyranni sævitia jam liberati requiescunt in Domino. Presbyter Pastor titulum condidit <sup>27</sup>, et digne in Domino obiit. Revelatum

(40) Quod vero sub Aurelio passi, in Martyrologio sub Antonino imperatore martyrium subisse dicantur, neminem movere debet; nam Marcus Aurelius non tantum Antoninus, sed pluribus etiam aliis nominibus nominatus fuit, ut ostendit Baronius anno 163, n. 4 et 5. Ib.

(41) *Cerinthus primarches Satanæ multos avertit a fide*. Cerinthus an vivus adhuc, vel potius in secretariis tantum hæresim ab eo acceptam propagantibus, multos a fide averterit, incertum est. Hoc certum est, absurdi nihil dici, si Cerinthum, quem viderunt apostoli, quique apostolorum tertiæ synodo interluit, hoc tempore superstitem fuisse dicamus. Si enim Polycarpus discipulus Joannis attingit Anicetum pontificem, cujus anno tertio sub imperatore Aurelio martyrium subiit, si Hermas discipulus Pauli cum hoc pontifice simul vixerit, impossibile videri non debet, ut Cerinthus simul hoc et apostolorum tempore superstes adhuc fuerit, ac virus suum longe lateque per orbem terrarum evomerit. Baron. ann. 166. num. 2. Ib.

(42) *Epistola*. Hanc epistolam ultimo anno pontificatus Pii, paulo ante obitum ejus scriptam esse, ex ipsa epistola apparet. Ib.

(43) *Attalus*. Attalus, cujus hic fit mentio, est genere Pergamenus, sed Romana civitate donatus, ac magni nominis vir. De cujus agone litteræ Viennensis et Lugdunensis Ecclesiæ, apud Eusebium lib. v, cap. 1, exstantes, scribunt. Ib.

(44) *Sanctum Verum*. Verus, de quo hic, fuit

mihî esse scias, collega beatissime, citius me finem hujus vitæ facturum<sup>28</sup>. Unum flagitabo : in communione sta, et mei ne obliviscaris. Salutatur te

A senatus pauper (44) Christi apud Romam constitutus. Saluta omne collegium fratrum, qui tecum sunt in Domino.

ETIS PII PAPÆ I.

*Ante vicesimum quintum annum virgines non consecrentur.*

<sup>29</sup> Virgines non velentur ante viginti quinque annos ætatis, nisi forte necessitate periclitantis pudicitie virginalis. Et non sunt consecrandæ, nisi in Epiphania et in Albis Paschæ, et in apostolorum Natalitiis, nisi causa mortis urgente<sup>30</sup>.

*De illis qui per caput Dei vel capillum jurant, vel blasphemia contra Deum utuntur.*

<sup>31</sup> Si quis per capillum Dei vel caput juraverit vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in ecclesiastico ordine est, deponatur; si laicus, anathematizetur. Et si quis per creaturas juraverit, acerrime castigetur, et juxta hoc quod synodus judicaverit, pœniteat. Si quis autem talem hominem non manifestaverit, non est dubium quin divina condemnatione similiter coerceatur. Et, si episcopus ista emendare neglexerit, acerrime corripiatur<sup>32</sup>.

*De illis qui jubentibus dominis suis perjurium fecerint.*

<sup>33</sup> Qui compulsus a domino, sciens pejerat, utriusque sunt perjuri, et dominus et miles; dominus, quia præcepit: miles, quia plus dominum, quam animam suam dilexit. Si liber est, quadraginta dies in pane et aqua pœniteat, et septem sequentes annos; si servus est, tres quadragesimas et legitimas ferias pœniteat<sup>34</sup>.

<sup>35</sup> Qui pejerat se in manu episcopi, aut in cruce consecrata, tres annos pœniteat; si vero in cruce non consecrata, annum unum pœniteat. Qui autem coactus fuerit, et ignorans, se pejeraverit, et post cognoscit, tres quadragesimas pœniteat<sup>36</sup>.

*De illo qui uxorem legitimam sine judicio interfecerit.*

<sup>37</sup> Quicumque propriam uxorem absque lege vel sine causa et certa probatione interfecerit, aliamque duxerit uxorem, armis depositis, publicam agat pœnitentiam. Et si contumax fuerit, et episcopo suo inobediens exstiterit, anathematizetur,

<sup>28</sup> ap. 165. <sup>29</sup> 20, q. 1: *Virgines non velentur*: et in *Decr. Ivon.* lib. III. <sup>30</sup> Hujus decreti prior pars est ex *Carthag.* III, can. 4; altera ex *Milev.* II, can. 26; tertia ex *epist. XI Gelas.* cap. 12. <sup>31</sup> 22, q. 1: *Si qui per capillum Dei*. <sup>32</sup> Desumptum est ex *Novella Justiniani*. <sup>33</sup> 22, q. 5: *Qui compulsus*. <sup>34</sup> Anselmus lib. XI, cap. 63, hoc citat ex *Pœnitentiali Theodori*, ut Burchardus, et Ivo sequenti capite. <sup>35</sup> 22, q. 5: *Qui pejera*. <sup>36</sup> Laudatur in collect. Anselmi tanquam ex *Pœnitentiali Theodori*. <sup>37</sup> 33, q. 2 *Quicumque propriam*. <sup>38</sup> *Capitular.* lib. I, c. 300. <sup>39</sup> *De consecr. distinct.* 2: *Si per negligentiam*; et in *Decr. Ivo.* lib. I. <sup>40</sup> Ex *Pœnitentiali Theodori*, cap. 51. <sup>41</sup> *distinct.*: *Communiter diffinimus, ut nullus, etc.* <sup>42</sup> Ivo p. II, c. 125, hoc tribuit Pio. <sup>43</sup> Pio tribuitur ab Ivono.

primus (a) Viennensis ecclesie episcopus, apostolorum discipulus, qui Trajani tempore episcopatum ejus Ecclesie accepit, et ad hæc usque tempora illi præfuit. Sev. BIN.

(a) Dele hanc vocem, si vera narravit Ado in Chronico.

quousque consentiat. Eadem lex erit illi qui suum seniore interfecerit<sup>38</sup>.

*Pœnitentia ejus, cujus negligentia de sanguine domini aliquid stillat.*

<sup>39</sup> Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillaverit in terram, lingua lambatur, tabula radatur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corrodat, et igne consumatur, et cinis intra altare recondatur, et sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, et tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, et ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si usque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat, et linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice subterposito, et aqua ablutionis sumatur, et juxta altare recondatur<sup>40</sup>.

*Ut arrepti sacris altaribus non ministrent.*

<sup>41</sup> Communiter diffinimus, ut nullus de his, qui aut in terra arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscusse se ingerant sacramentis divinis, exceptis illis, qui corporum incommoditati dediti, sine hujusmodi passionibus in terra probantur elisi, qui tamen et ipsi tandiu erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio, per discretionem episcopi, inveniantur ab incursu dæmonum liberati<sup>42</sup>.

*De oblationibus populorum.*

Ex codice 5 librorum, libro II, cap. 117.

Ut de oblationibus quæ offeruntur a populo, et consecrationibus quæ supersunt, vel de panibus quos deferunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis, presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido et convenienti, ut post missarum solemnias, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, et in diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat<sup>43</sup>.

(44) *Senatus pauper*. Id est, sacrum collegium presbyterorum, ac cæterorum Romanæ Ecclesie clericorum. Id.

*De consuetudine servanda, quæ non est contra fidem.* A quas a Petri apostolorum principis ordinationum  
 Ex codice 16 librorum, libro III, cap. 19. initiis hactenus vetustas longa servavit. Et nos  
 quidem, juxta seriem relationis vestræ, <sup>45</sup> consue-  
 tudinem laudamus, quæ tamen contra fidem ca-  
 tholicam nihil usurpare dignoscitur.

<sup>44</sup> Est ex epist. S. Greg. lib. 1, ep. 75. <sup>45</sup> distinct. 11: *Consuetudinem laud.* Et in *Decr. Ivon.* lib. II

## ANICETUS I PAPA

### NOTITIA

(Ex Libro pontificali Damasi papæ, ab. MANSI, *Concil.*, I, 681. Vide *Patrologiæ Latinæ*. CXXVII, col. 1203, in Anastasio Bibliothecario qui Anicetum ante Pium I ponit.)

Anicetus natione Syrus, ex patre Joanne de vico Humisia, sedit annos undecim, menses quatuor, dies tres. Fuit autem de temporibus Veri et Marci, a consulatu Gallicani et Veteris, usque ad Præsentem et Rufinum. Hic constituit ut clericus comam non nutriret, secundum præceptum Apostoli. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros septemdecim, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca novem. Qui etiam obiit martyr, et sepultus est in cæmeterio Callisti, via Appia, decimo-quinto Kalend. Maias. Et cessavit episcopatus dies septemdecim.

## ANICETI PAPÆ

### EPISTOLA AD GALLIÆ EPISCOPOS <sup>(45)</sup>

(MANSI, *Concil.*, I, 683.)

*De electione et ordinatione archiepiscopi et cæterorum episcoporum, et ut archiepiscopus absque consilio cæterorum nihil agere præsumat de causis eorum nisi tantum de sua speciali parochia.*

<sup>46</sup> Anicetus <sup>47</sup> universis Ecclesiis per Galliæ pro- B vincias constitutis, in Domino salutem.

Bonorum operum et <sup>48</sup> spiritualium studiorum Deum auctorem esse, non dubium est, qui bonorum hominum incitat mentes et adjuvat actiones. Quod nobis evidenter apparuit, cum inter longinqua spatia regionum, unum corda vestra senserunt consilium, et quæ desiderabatis responsa, non unius sed plurimorum epistolæ intimarunt.

I.

*De ordinationibus episcoporum, et de causis earum.*

De ordinationibus vero episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, olim in sancti prædecessoris nostri Anacleti ordinationibus quædam jam decreta reperimus <sup>49</sup>. Scimus enim enim bealissimum Jacobum, qui dicebatur Justus, qui etiam secundum carnem frater Domini nuncupatus est, a Petro, Jacobo et Joanne apostolis, Hierosolymorum episcopum esse ordinatum. Si autem non minus quam a tribus apostolis tantus vir fuit ordinatus episcopus, patet profecto eos formam, insti-

tuente Domino, tradidisse, non a minus quam a tribus episcopis, episcopum ordinari debere. Sed crescente numero episcoporum, nisi necessitas intervenerit, debent etiam plures augeri, id est, si archiepiscopus diem obierit, et alter ordinandus archiepiscopus electus fuerit, <sup>50</sup>, omnes ejusdem provinciæ episcopi ad sedem metropoleos conveniant, ut ab omnibus ipse ordinetur. <sup>51</sup> Oportet autem ut ipse, qui illis omnibus præesse debet, ab omnibus illis eligatur et ordinetur. Reliqui vero comprovinciales episcopi, si necesse fuerit, cæteris consentientibus, a tribus, jussu archiepiscopi, consecrari possunt episcopis. Sed melius est, si ipse cum omnibus eum qui dignus est, elegerit, et cuncti pariter sacraverint pontificem. Et licet istud, necessitate cogente, concessum sit, illud tamen, quod de archiepiscopi consecratione prædictum est atque præceptum, id est, ut omnes suffraganei eum ordinent, nullatenus immutari licet; quia qui illis præest, ab omnibus episcopis, quibus præest, debet constitui. Sin aliter præsumptum fuerit, viribus

<sup>46</sup> in mss. sæpe *Anicitus* scribitur; in quibusdam *Anicius*, sic etiam recte. HARD. <sup>47</sup> in ms. nostro hoc loco *Anicius*, et in titulo. HARD. <sup>48</sup> S. Leo ep. 32. <sup>49</sup> Supra in 2. Anacl. epistola. <sup>50</sup> 66, distinct.: *Archiepiscopus ab omnibus.* <sup>51</sup> S. Leo ep. 89, cap. 5. Conc. III Aurel. c. 3.

(45) Supposititiam censent viri eruditi.

carere non dubium est, quia irrita erit ejus secus A acta ordinatio. <sup>52</sup> Ipse autem archiepiscopus nihil de eorum causis, aut de aliis communibus, juxta statuta apostolorum, absque cunctorum illorum agat consilio; nec illi, nisi quantum ad proprias, parochias pertinet, sine suo, quoniam: tali gaudet concordia Altissimus, et gloriatur in membris suis.

## II.

*De primatibus et metropolitanis.*

<sup>53</sup> Nulli archiepiscopi primates vocentur, nisi illi qui primas tenent civitates, quarum episcopos apostoli et successores apostolorum regulariter <sup>54</sup> patriarchas et primates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit, propter multitudinem eorum, primatem constitui. Reliqui vero, qui alias metropolitanas sedes adepti sunt, non primates, sed metropolitani nominentur.

## III.

*Si metropolitanus sine consilio egerit, vel si episcopi eum suspectum habuerint.*

<sup>55</sup> Si autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit, et sine omnium com provincialium præsentia vel consilio episcoporum, aut eorum, aut alias causas, nisi eas tantum quæ ad propriam suam parochiam pertinent, agere <sup>56</sup>, aut eos gravare voluerit, ab omnibus districtè corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. Si vero incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, ad hanc apostolicam sedem (cui omnia episcoporum judicia <sup>57</sup> terminare præcepta sunt) ejus contumacia referatur, ut vindicta de eo fiat, et cæteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris asperitatem, grave ad hanc sedem ejus causam deferre fuerit, tunc ad ejus primatem causa deferatur, et penes ipsum hujus sanctæ sedis auctoritate judicetur, <sup>58</sup> Similiter, si aliquis episcoporum proprium metropolitanum suspectum habuerit, apud primatem dioceseos, aut

<sup>52</sup> 9, q. 3: *Archiepiscopus nihil.* <sup>53</sup> 99, distinct. : *Nulli, archiepiscopi.* <sup>54</sup> Hadr. coll. c. 23. <sup>55</sup> 9, q. 3: *Si autem aliquis.* <sup>56</sup> ms. *tentare.* HARD. <sup>57</sup> Vigilius ep. 2. <sup>58</sup> Hadr. coll. 18, 26. <sup>59</sup> Matth. xx. 26; Marc. x, 43. <sup>60</sup> Eccli. III, 20. <sup>61</sup> I Joan. IV, 7, 8. <sup>62</sup> I Petr. v. 2-4. <sup>63</sup> Jud. 17. 23. <sup>64</sup> distinct. 23: *Prohibete, fratres.* <sup>65</sup> I Cor. XI, 14.

(46) *Juxta Apostolum comam non nutriant.* Hoc decreto Anicetus pontifex confirmat id quod apostolica traditione ac constitutione in Ecclesiam derivatum est, ut scilicet eorum capita in modum spheræ tondeantur desuper, qui a communi hominum vita recedentes, excultius vitæ genus sectantur: ita Isidorus *De divin. offic.* Hujus ritus mentio est apud Dionysium *De ecclesiastica hierarchia*, part. II, cap. 3. In ecclesia a primis sæculis usque huc prædictum ritum frequentatum esse constat non tantum ex Dionysio Areopagita supra allegato loco, ubi ait: « monachos tonderi solitos fuisse; » sed etiam ex Epiphaniæ hæres. 80, Augustino lib. *De operibus monachorum*, cap. ultim., ubi reprehendunt quosdam monachos, qui aliorum more tonderi nollent. Ex Hieronymo in epistola quadam ad Augustinum quæ est inter epistolas Augustini 26, ubi sic ait: « Evodium ut meo nomine salutes, precor coronam tuam. » Item ex Augustino epist. 147, ad Proculia-

apud hanc apostolicam sedem audiatur. « Qui major est vestrum, secundum Dominicam jussionem, sit vester minister <sup>59</sup>. » Et: « Quanto major es in omnibus, humilia te ipsum <sup>60</sup>. » Charissimi, nolite inter vos contendere, nec quærat aliquis major esse; sed, juxta apostolum, « diligite vos invicem, quia charitas ex Deo est: et omnis qui diligit fratrem, ex Deo natus est et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est <sup>61</sup>. » — « Pascite, inquit princeps apostolorum, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam <sup>62</sup>. » Et juxta alium apostolum: « Fratres, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria ambulantes impietatum. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes, ipsos vos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam. Et hos quidem arguite judicatos, illos vero salvate, de igne rapientes. Aliis autem misere mini in timore, odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam unicam <sup>63</sup>. »

## IV.

*De tonsura clericorum et habitu.*

<sup>64</sup> Prohibete, fratres, per universas regionum vestrarum ecclesias, ut cleri, qui laicis et simplicibus, virtutis, honestatis, pudicitiae et gravitatis exemplar esse debent, ac seipsos, tanquam signum purioris vitæ, rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, juxta Apostolum, comam non nutriant <sup>65</sup>(46), sed desuper caput (47) in modum spheræ

num episcopum, quo loco hæc scribit: « Per coronam nostram, nos adjurant vestri; per coronam vestram, vos adjurant nostri. » Ex concilio Carthaginensi IV, canone 44, quod prohibet clericis comam et barbam alere. Ex concilio item Toletano IV, quod cap. 40 jubet ut omnes clerici, de tonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquunt. Recte igitur hic Anicetus ait, secundum apostolos esse, comam non alere, sed caput demisse tondere. Nam quæ per universam Ecclesiam toto terrarum orbe recepta, ab apostolorum temporibus usu frequentata leguntur, eæ secundum regulam S. Augustini, epist. 118, ad Januarium, ab apostolis protecta et constituta esse recte creduntur. Vide Baron. ann. 58, n. 112, et multis aliis sequentibus; Bellarmin. lib. II *De monachis*, cap. 40. Sev. BIN.

(47) *Desuper caput radant.* Id est, demisse, tondeant. Sic enim olim fiebat, forficibus scilicet, non